DE COMMERCIO

QUOD

INTER VENETOS ET GERMANIAE CIVITATES
AEVO MEDIO INTERCESSIT.

DISSERTATIO HISTORICA

QUAM

PRO GRADU ARTIUM LIBERALIUM MAGISTRI

RITE SIBI OBTINENDO

ORDINI PHILOSOPHORUM AMPLISSIMO JENENSI

OBTULIT

BERNHARDUS ERDMANNSDÖRFFER
PHIL. DR.
ALTENBURGENSIS.

LIPSIAE TYPIS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLVIII.

PROOEMIUM.

Quum nuper apud Venetos per aliquot menses morandi se mihi facultas obtulisset, acceptius in hac re nihil existimabam, quam quod simul copiosa illa ac pretiossissima literarum historiaeque monumenta, quae in bibliotheca S^ti Marci et in magno, quod olim reipublicae Venetae fuit, tabulario conservantur, ex parte saltem cognoscere mihi licebat. Neque enim defuit petenti virorum doctorum, qui illis thesauris custodiendis praesunt, officiosissima voluntas.

Quemadmodum vero accidere solet, ut etiam peregrinantes homines quaecunque in terris exteris aut viderint, aut audierint, aut perpetiantur, ad patriam resque patrias mente referant, ita ego quoque eo protinus oculos converti, ut historiae patriae in magna illa monumentorum copia vestigia persequerer. Maxime in hac re acta et documenta spectanda sunt publica auctoritate scripta, quae prius apud Venetos bono quodam ordine haberi consueverunt, quam apud plerosque alios; quo factum est, ut continui rerum gestarum illic etiamnunc conserventur commentarii eo temporis recedentes, ut alia haud facile terra exstiterit, quae propriam medii aevi historiam tam cohaerenti actorum serie possit illustrare. Crescente autem Venetorum potentia evenit, ut paullatim cum plerisque Europae nationibus in usum venirent; et quum omnium rerum, quae cum exteris tractabantur, accuratissima notitia in commentariis perscribi soleret, ex eisdem iam multa depromi possunt plus minusve gravia, quae ad plerarumque Europae terrarum historiam pertinent.

Quod si notitiarum inde petendarum copiam et gravitatem, uti consentaneum est, ex eo mutuae necessitudinis gradu computamus, qui inter Italiam et singulas nationes variis temporibus locum habebat, ad nullam fere terram saepius, quam ad Germaniam, acta Veneta respicere necesse est. Id quod vere usu ve-

nit. Notissimae sunt illae legatorum Venetorum relationes et epistolae ad Senatum scriptae, quibus iam cum tanto fructu historiarum scriptores usi sunt; sed eae ad XVI et XVII saeculum fere omnes pertinent. Qui remotiora tempora spectet, Senatus praesertim et reliquorum magistratuum commentarios adeat necesse est, qui circiter inde ab saeculo XIV medio serie continua superstites sunt; hinc retro cessat sane actorum cohaerentia, sed multa tamen reperiuntur et singula documenta et commentariorum fragmenta et excerpta, quae fere duo etiam saecula recedunt.

Haec igitur documenta quum perlustrarem et rerum Germanicarum ubique vestigia scrutarer, politicae quidem, quae proprie dicitur, historiae, quo longius recedebam, tanto rariora in illis libris contineri argumenta animadvertebam, [id quod casu fortasse evenit perditis scilicet temporis iniquitate antiquioribus illis libris, in quibus praecipue extera negotia perscribebantur] sed unum tamen notitiarum genus ubique fere in actis Venetis sparsim invenitur, nempe quod mercaturam spectat, quam cum Germania antiquitus Veneti habebant.

Quam rem haud indignam ratus, de qua ultra aliquis inquireret, quum iam in antiquissimis quae mihi patebant documentis eius vestigia reperissem, his instare et per sequentia quoque tempora, quae cognitu viderentur digniora, colligere decrevi.

Hoc consilium ita persecutus, ut per temporis mihi concessi brevitatem licebat, varia inveni documenta, quae inedita adhuc ad cognoscendam mercaturae Germanico-Venetae naturam et historiam aliquid facere posse mihi videbantur. Qua in re praeter Senatus commentarios supra memoratos duo praesertim codices mihi nominandi sunt paullo ante demum reperti, quibus mihi primo ad res Germaniae indagandas uti contigit. Horum alter nominatur: Liber Plegiorum, sive Liber Communis, in quo proprie negotia ad internam civitatis et urbis administrationem pertinentia perscribebantur; plura sine dubio huiusmodi erant volumina, quorum ex antiquiori tempore hoc unum superstes ab a. 1220 usque fere ad a. 1250 [plane enim definiri nequit] patet. Quum autem illo tempore nondum satis stabilita esset consuetudo, qua postea separatim varia negotia in acta referebantur, haud raro etiam res ad proprium libri consilium non

pertinentes in eo notatae inveniuntur; in quibus nonnullae sunt ad mercaturam spectantes antiquitate insignes, quibus posthac suo loco utemur. Alius codex titulum fert: Liber nonus decimus litterarum; qui epistolas continet a Senatu scriptas inde a d. 16 Sept. 1308 usque ad d. 16 Jul. 1310. Quae huic antecedebant duodeviginti volumina tempore perierunt; continua „litterarum ducalium“ series multo post incipit. Cuiusvis generis hisce epistolis negotia continentur, quorum ad Germaniam non pauca spectant; rarior rerum politicarum mentio[1]; haud infrequens documentorum copia, quae mercaturae Germanicae rationem illustrare possunt.

Documentorum igitur hunc in modum collectorum nonnulla iam explicare institui; qua in re ea praesertim deligam, quae ad aevi medii tempora pertinent, quippe quia haec praecipue epocha est, qua commercii inter Venetos et Germaniam agitati maxima gravitas erat. Una cum exeunte hac epocha multa simul accidisse constat, quibus pristina huius mercaturae vis magnopere infringebatur; adeo tamen antecedentibus saeculis firmas egerat radices, ut ne hi quidem impetus ad prorsus eam et subito perdendam satis valerent. Sequentibus quoque saeculis haud utique inane commercium fuit, quod cum meridionali Germaniae parte Veneti exercebant; at pristinus tamen iam defuit splendor, qui plurium mox eodem concurrentium certamine magis magisque expalluit.

Minoris igitur momenti ad aevi recentioris historiam mercaturae Germanico-Venetae enarratio existit; sed multum valet ad aevum medium. Ad hanc igitur nos epocham convertemus. Ut vero melius appareat singuli cuiusque documenti ratio ac natura, ipsius huius mercaturae historiam et indolem, quoad ad aevum medium spectat, brevi enarrabimus, et quae opportuna et graviora videbuntur documenta suo quodque loco inseremus. Quo in consilio exspectari nequit, universam huius rei nos doctrinam

---

1) Sub finem codicis e. gr. epistola quaedam legitur ad Henrici VII Imperatoris legatos, quos Venetias a. 1310 misit, scripta, quae non reperitur in reliquis huius legationis documentis apud Pertz legum Tom. II pag. 498 sq.

esse expositiiros; hoc tantum nobis proposuimus, ut et locorum et temporis veluti fines circumscriberemus, quibus continetur, simulque quae singularis huius commercii fuerit natura, quae leges et universae conditiones, quae commoda et impedimenta, non ita generali demonstratione, quam exemplorum quorundam et documentorum interpretatione exprimeremus.

I.

Quo tempore primum a Venetis commercia iniri coepta sint cum Germania, eadem fere nobis caligine obscuratur, qua in plerarumque rerum ad priora aevi medii saecula spectantium indagandis primordiis laboramus. Quemadmodum enim saepius in huiusmodi rebus accidit, ut res quasdam et conditiones fere repentino iam actas et perfectas nobis innotescere videamus, origines vero prorsus lateant et „ex visis non visa“ concludi, imo saepe divinari oporteat, ita in hac quoque nostra causa factum videmus. Posterioribus enim aevi medii saeculis mercaturam inter Venetos et eas Germaniae partes, quae Italiae imminent, non modo florere cernimus, sed etiam amplissime patere; jam si quis haec una cum tempore procedente crevisse et a parvis ad magna paullatim transiisse iuste existimans ipsas rerum origines ipsaque primordia inquirere cupiat, mox quo ad initia propius recesserit, leviora usque reperiet indicia; denique omnia vel vestigia deficient.

Nec vero ideo de re omnino desperandum. Ipsa traditionis inopia magnum addit gravitatis incrementum paucis illis quae supersunt reliquiis. Eas igitur adeundum, hinc fundamentum, quo nixis ad posteriora liceat progredi, petendum. Perversa enim sine dubio illorum ratio est, qui quia paucissima sane ad demonstrationem reperiuntur, antiquiori tempore ullam fuisse inter Italiam et Germaniam mercaturam negare posse sibi videntur. Eorum ex numero est qui uberrime de rebus nostris mercatoriis scripsit, Jon. Fischer, qui uti de mercatura, quoad ad reliquas Germaniae partes spectat, locupletissimus sane auctor exi-

stit, ita de meridionali et quae ad Italiam pertinet, paucissima, quae probari possint, nobis adfert[1]) Ante bellicas enim illas aevi medii expeditiones, quae a cruce militum signo apellari solent, nullam fuisse Italiae cum nationibus exteris mercaturam contendit; tunc quidem primum eos aromata reliquasque orientis merces ad suos portus advectare incepisse, ita tamen ut etiam tum per longum temporis spatium ea tantum inde afferrent, quae propriis Italiae necessitatibus sufficerent; nullum adhuc exportationi locum fuisse; longe post demum Venetos cum Germaniae superioris civitatibus negotia iniisse, et, ut exemplum proferam, Augustam Vindelicorum non ante saeculum XV cum Venetis negotia habuisse[2]).

Fuerunt e contrario alii, qui nullo unquam tempore commercium Italiae et Germaniae interruptum fuisse affirmarent[3]), id quod contendi facilius quam probari potest. Nempe dum Romanorum viguit in Vindelicia et Norico dominatio, frequentissimam fuisse inter has regiones et Italiam commercium constat. Hinc usque ad Caroli Magni tempora haud scio, an documenta ulla inveniantur, quibus continuata esse haec commercia etiam post relictas a Romanis has provincias concludi possit. Sequebantur magnae illae populorum migrationes, quibus Germania et Italia maxime agitabantur; sed nascitur ex his turbis ipsa Venetorum respublica. Postquam Carolus Magnus Italiae regnum occupavit, sine dubio rursus maior quaedam mutua necessitas inter cisalpinas et transalpinas regiones coorta est. Strenuam summi imperatoris administrationem mercaturae quoque novum addidisse vigorem consentaneum est; haud raro in eiusdem, quae adhuc servantur, legibus negotiatorum mentionem factam invenimus. Etsi vero neque Itali mercatores Germaniam frequentantes, neque Germanici trans Alpes negotiantes diserte in eis nominantur, bono tamen iure supponere licet, et hunc et illum negotiandi modum locum iam tunc habuisse. Afferenda in hac re veteris cuiusdam monachi est auctoritas, qui ipso IX saeculo Caroli vitam

1) Jonathan Fischer, Geschichte des deutschen Handels.
2) Fischer l. c. I. pag. 682. II. pag. 480 seq.
3) Muratori Antiquit. Italiae Tom. II dissert. XXX pag. 881.

narravit[1]). Qui dum notissimam illam narratiunculam refert, qua summi Imperatoris parcimonia praedicari solet, ipsum Carolum pluvioso die simplicissima veste indutum venatum iisse prodit; tum addit de comitibus: „caeteri vero, utpote feriatis diebus et qui modo de Papia venissent, ad quam nuper Venetici de transmarinis partibus omnes orientalium divitias advectassent, phenicum pellibus avium serico circumdatis et pavonum collis cum tergo — — — — circumamicti procedebant.“ Igitur Papia civitas (vel Ticinum, si quis antiquum mavult nomen) tunc temporis iam emporium quoddam fuisse videtur, quo merces a Venetis advehebantur; inde per terras vicinas diffundebantur; mox autem et ipsi Germanici mercatores Italiam petere et orientis merces ad suas regiones portare coeperunt. [2])

Sed missa iam haec ad superiora tempora spectantia faciamus, de quibus qui certa petat paucis contentum esse oportet. Tum enim ipsa rei natura efficitur, ut in illa aetate, in qua post longas turbas prima novi cuiusdam ordinis semina denuo pullulare incipiebant, sparsim tantum ac paullatim eae artes eaeque vitae humanae necessitates provenirent, quae non nisi elatiorem quandam civitatum conditionem sequi solent; tum vero ea est coaevorum scriptorum proprietas, ut nunquam fere de huiusmodi rebus ad vitae cultum et ad quotidianas vivendi conditiones pertinentibus ipsa rei gravitate inducti loquantur, sed rarissimo tantum fortuita quadam oblata occasione parvulam scriptis suis notitiam inserant. Et ea quidem inopia etiam multo post apud plerosque scriptores invenitur, id quod non modicam addit his rebus indagandis difficultatem. Secuta iam sunt bella illa pro terra Christianis sacra recuperanda suscepta, quae plurimum valuerunt ad aperienda remotissima orientis loca et ad navigationem et mercaturam amplificandam. Prorsus nova hinc aera incipit. Summum enim usquedum ac praecipuum totius orbis emporium Constantinopolis fuerat; huc ex omnibus orientis partibus, quae ubi-

1) Monachus Sangallensis, de gestis Karoli Imperatoris. Pertz Scriptores T. II. p. 760.

2) Eccehardus IV. B. Casuum S. Galli Contin. I. apud Pertz Script. II. pag. 80. Ibi ad a. 917 „mercatores ex Italia redeuntes“ memorantur.

que proveniebant mercimonia terra marive confluebant et venumdabantur, huc ex Europae regionibus quicunque aut navigationi aut terrestri mercaturae studebant, concurrebant et merces hinc petitas per omnes occidentis terras divulgabant. [1]) Hinc in Germaniam duobus praesertim itineribus merces vehebantur. Tum enim secundum Danubii cursum in terras huic vicinas primum Avari, dein Bulgari, postremo Ungari eas transportabant; tum vero mox Itali navigatores ad suos portus ex Constantinopoli merces vehebant, unde ulterius eas in Germaniam iam IX et X saeculo fuisse portatas supra vidimus.

Iam vero sacrae illae, de quibus mox antea mentionem fecimus expeditiones magnum mercaturae vigorem addiderunt simulque viae aliae et nova quaedam emporia praevalere coeperunt. Tunc enim primum Itali mercatores ipsos Syriae Aegyptique portus adire et ea inde petere consueverunt, quae longis antea ambagibus e Constantinopoli petierant; summa per totum hoc spatium in omnibus Mediterranei partibus mercatorum navitas conspicitur et industria; haud exigua illorum in rebus gerendis opera, neque minora ea commoda, quae rebus feliciter actis sibi postulabant. His rebus accidit, ut magna illa in re mercatoria auctoritas, qua olim Constantinopolis fuerat, magis magisque ad alias iam civitates transiret. Mox Veneti et Genuenses (ut alios taceam) summam mercaturae acquisierant et mutuo inter se certamine obtinebant. Secuta est imperii Byzantini ruina cum magno Venetorum mercaturae incremento; post idem Genuensium invidia restitutum novis hanc civitatem commodis auxit. Magna inde inter utramque civitatem bella oriuntur; varii certaminum eventus; attamen summa mercaturae apud eosdem remanet.

Iam igitur, ut ad Venetos redeamus, inde ab hoc tempore mirum quantum apud eos florere commercia inceperint, ita ut per longum temporis spatium proprium universi orbis emporium Venetiae appellari possent. Ingens mercium importatarum vis similem exportationem necessario efficit; mox igitur omnes Mediterranei portus navigatores nostros adire cernimus; ineunte

1) **Hüllmann**, Gesch. des byzantin. Handels pag. 73 seq.

fere XIV saeculo etiam superato freto Gaditano Atlanticum, quod vocatur, mare tentare et cum Batavis nogotiari coeperunt. Ex quattuor illis magnis classibus mercatoriis, quas quotannis ex portu suo publice dimittere Veneti solebant, prima Pontum Euxinum, altera Syriam et Graeciae insulas, tertia Aegyptum visitabat; quarta denique, cui „Flandricae“ nomen erat, primum reliquas Mediterranei oras, tum eo relicto Lusitaniam, Hispaniam, Galliam, Flandriam, postremo Angliam petebat. Neque minus iam undique mercatores Venetias confluxere; medio fere XII saeculo Gallos, Germanos, Longobardos, Tuscos, Pannonios frequentia apud Venetos negotia tractasse bono testimonio docemur.[1])

Mox Germanorum praesertim tanta fuit Venetiis frequentia, ut prae reliquis magna eis Senatus privilegia concederet omnique modo studeret, ut amplissimis commodis praebendis quam plurimos alliceret. Huc pertinet, quod iam ante medium XIII saeculum magna eis in frequentissima urbis parte domus mercatoria assignata est, in qua et ipsi habitare et merces ad vendendum proponere et emptas in horreis deponere possent. „Fonticum Theotonicorum“ haec domus nominabatur, de cuius institutione ac legibus posthac amplius erit disserendum.[2])

Sed mutua fuit inter Germaniam et Venetias consuetudo; ipsi quoque Veneti frequentes Germaniam petebant;[3]) neque solum vicinas eius partes adibant, velut Bavariam, Sueviam, Carinthiam, al., sed etiam ulterius progrediebantur; postea usque in mediam Germaniam eos penetrasse et mercatorias ibi sedes habuisse reperiemus.

Magna ex hac mercaturae frequentia in utramque partem commoda defluxisse, tum ipsa rei natura efficitur, tum testimonio

1) Martinus da Canale, qui circa a. 1277 Venetiarum chronicon gallico sermone scripsit, de tempore suprascripto haec notavit: „les venaient acheter droitement en Venise Alemans et Baivers, Franceis et Lombars, Toscans et Ongers et totes gens qui vivent de marchandises et les conduisaient en lors pays“. Vid. Raumer Hohenstaufen V p. 416 qui hunc locum ex libro manuscr. Florentino dedit; nuper universum Chronicon typis impressum est in „Archivio Storico Italiano“.

2) Vide partem huius dissertationis III.

3) Raumer l. c. V. p. 416.

est magnus ille splendor, quem inde ab hoc tempore eae Germaniae civitates nactae sunt, quae prae reliquis frequentissimam cum Venetis negotiationem habebant. Iam igitur, quo mutuae consuetudinis melius ratio appareat, singulas civitates adeamus, et quo quaeque tempore, qua via, quibus conditionibus huic mercaturae studuerit, deinceps disseramus.

II.

Initium autem faciamus a Ratisbona. Frequentissimam in hac civitate antiquitus fuisse mercaturam constat. Sponte ad eam Danubio praeterfluente cives inducebantur; sed idem fluvius dux simul et index exstitit, qui vias eis praescriberet, ad quas potissimum se dirigerent. Hunc igitur praecique mercatores Ratisbonenses sequebantur, orientem simul et occidentem versus; altera ex parte Bavariam, Sueviam petebant, tum relicto Danubio etiam Moeni Rhenique regiones accedebant; ex altera fluminis lapsum sequentes in Austriam perveniebant atque inde in Russiam, Poloniam, Borussiam, Bohemiam iter dirigebant. [1])

Verumtamen non sola haec eis itinera fuisse videntur; sunt pauca sane, sed sunt vestigia, unde cum Venetis forse iam prius eos commercia habuisse conjicere licet, quam illi qui postea primas in hac mercatura partes agebant. Caroli IV Imperatoris aetate quidam Bavariae annalium auctor discrepantiam ortam esse tradit inter Ratisbonenses et Norimbergenses de primo ordine in fontico Theotonicorum apud Venetos obtinendo; eum illos usque ad hoc tempus habuisse, at iam sibi Norimbergenses postulavisse; ad ipsum Venetorum senatum caussam fuisse delatam, eumque pristino honore non esse privandam Ratisbonensium civitatem

1) Multa utriusque itineris exempla sparsim reperiuntur apud Gemeiner Regensburger Chronik vol. I. Conf. Hüllmann Städtewesen des Mittelalters I pag. 337 seq.

decrevisse.[1]) Igitur non solum medio fere XIV saeculo negotiari solitos esse cum Venetis Ratisbonenses hinc efficitur, sed etiam multo antea hanc inter eos consuetudinem fuisse inchoatam. Firmatur haec sententia documentis nonnullis a diligenti rerum Ratisbonensium indagatore prolatis. Usque ad saeculi XIII fere initium magnam Italorum copiam Ratisbonae fuisse refert, mercatorum, qui Romanorum aetate negotiandi causa ibi consederint, subolem, eosque quendam cum Italia nexum per omnia temporum discrimina servavisse; tum vero subito illos tempore suprascripto — quo casu permotos ignoratur — Ratisbonam reliquisse omniaque eorum iura et commoda ad mercatores Germanos iam transiisse.[2]) Haec utut se habeant — non prorsus enim liquent — firma postea Ratisbonensium erat opinio, sese primos post Italorum discessum cum Venetis negotiari incepisse; XV adhuc saeculo gloriari eos reperimus, se itineris Veneti quasi auctores fuisse Germaniae, multisque propter hoc meritum privilegiis gaudere,[3]) inter quae illud quoque praedicabant, quod supra memoravimus, antiquitus se apud Venetos primum locum in fontico Theotonicorum obtinere.[4])

Iam vero confitendum est, satis parcam sane de hac mercaturae parte traditionem esse. In ipsis actis Venetis saepe miratus sum fere nunquam Ratisbonensium nomen occurrere, dum Augustae Vindelicorum, Norimbergae, aliarum haud raro in eis mentio inveniatur.[5]) Rem ita expediendam censuerim. Quodsi

---

1) Uldarici Onsorg Chronicon Bavariae ap. Oefele Rer. Boic. Script. I p. 368.

2) Gemeiner, über den Ursprung der Stadt Regensburg pag. 49.

3) Ibid. pag. 49 Soliche Freiheit ..... haben die Fürsten zu Bayern der erbern Statt hie zu Regensburg geben, wann sie waren die ersten aus diesen Landen, die dy Strassen gen Venedig hinein baueten, nach der Zeit und (als) die Walhen gewönlich hie zu R. mit ihrer Kaufmannschaft gelegen waren. Ibid pag. 50: wann sie seyn die ersten gewesen hineyn gen Venedig.

4) Ibid. pag. 11 Chronik von Reg. II p. 205 III. p. 150.

5) In libro „Commemorialium" in tabulario Veneto servato ad a. 1330 et 1331 memorantur mercatores: Heinrich von Münchsen et Leogard von Ransborg. Pertz, Archiv IV pag. 200.

Ratisbonensibus primus in fontico locus a Venetis erat concessus, iam ineunte XIII saeculo (eo enim tempore vel paulo ante institutum esse fonticum videtur) non solum frequentem cum illis eos habuisse mercatum, verum etiam reliquis civitatibus frequentiorem consentaneum est. Itaque verum esse potest, quod ipsi de se praedicabant, iam inde ab eiusdem saeculi initio se Venetum iter tentasse; quod autem in paucis huius temporis quae exstant documentis nominatim non inveniuntur, mirum non est propterea, quod in actis antiquioribus plerumque nec aliarum civitatum nomina leguntur; universe enim „mercatores Theotonici", vel „mercatores fontici" appellari solent. Neque iam veri fuerit dissimile, saeculo XII et XIII praesertim magnum fuisse apud Venetos Ratisbonensium commercium; [1]) post ubi aliae civitates, velut Augusta et Norimberga summam mercaturae ad se traxerunt, rarior sine dubio Ratisbonensium aditus, ita ut in actis posterioris temporis eorum mentionem faciendi non ita saepe occasio occurreret. Quicunque autem ex illa civitate etiamtum Venetias proficiscebantur, pristina sua auctoritate nixi primi loci illud privilegium, in quo haud dubie plus fuit honoris quam commodi, aliis cedere nolebant; et ipsa civitas in eodem obtinendo quandam posuit simultatem.

De via, quam in hac mercatura exercenda sequi Ratisbonenses consuerint, conjecturam facere licet ex documento supra allato. [2]) Danubium enim sequentes in eo ad Pattaviam usque procedebant; inde meridiem versus ad Oeni fluminis cursum se dirigebant et mox Oenipontem assecuti iam frequentissima illa via utebantur, quae in Italiam inde conducebat. In ipsa Tirolia XIV saeculo quosdam quasi inter medios fuisse mercatus institutos reperimus, ad quos hinc ex Germania, illinc ex Italia frequentes mercatores affluebant; illis Ratisbonenses quoque interesse solebant. [3])

1) Exstat documentum de fontico ad a. 1242 pertinens, ubi inveniuntur haec: „quod pelles varie et alia—que venerint ad fonticum Theotonicorum, vendantur ad incantum". Notandum est, pelles, quas ex ipsa Russia petebant, inter praecipuas Ratisbonensium merces fuisse. Vid. Mone Zeitschrift für die Gesch. des Oberrheins Vol. V. 1854 pag. 6.

2) Gemeiner Ursprung d. St. Reg. pag. 50.

3) Documentum anni 1335 apud Gemeiner R. Chronik II. p. 7.

Iam de Augusta Vindelicorum loquendum. Romanorum haec quoque antiqua fuit colonia, in quarum plerisque velut ex traditione quaedam mercaturae vestigia per omnes temporum vicissitudines servari solebant. Magna in hoc quoque loco naturae opportunitas, ager fertilis, aquarum copia, situs inter Alpes, Rhenum, Danubium quasi intermedius; Licus flumen, cui adiacet, altera ex parte Danubii quodammodo participes Augustenses reddit, altera Tiroliae aditum eis demonstrat et aperit, unde in Italiam pergere possint. [1]) Iam saeculo XI frequentes Augustae fuisse nundinas cognitum habemus; [2]) externae mercaturae hic quoque obscuriora initia. Parcissimus de his rebus Augustensium historiarum scriptor est, Paulus de Stetten, falsissimus autem Fischerus, qui ex tabulariis Augustensibus probari contendit, cum Venetis non ante XV saeculum negotiatos esse Augustae cives. [3]) Imo iam duobus ante saeculis, uti mox apparebit. Quum vero quae ad priora tempora in hac re spectant rara adhuc prodierint documenta, haud ab re me facturum iudico, ubi ineditum Venetum quoddam, quod ad Augustam pertinet hic inseruerim. Sunt duae epistolae ex codice epistolarum, quem supra memoravi, sumptae ad a. 1308 pertinentes.

I. Consulibus et Universitati civium de Augusta. Recepimus litteras vestras per quas nobis inter cetera denotastis securitates, quas a nobis volebitis (sic) per publicum instrumentum pro restitutione ballarum nostrorum civium mercatorum per vos aput Fauces sequestratarum; nos igitur inspectis litteris vestris vobis tenore presentium respondemus, quod sumus contenti, quod ipsas ballas et res nostrorum civium ibi sequestratas relaxari faciatis libere et absolute, et nos permissionem et securitates predictas, quas per easdem vestras litteras petivistis, vobis per proprium

1) Navigationi sane minus hic fluvius idoneus est; ratibus praesertim adiri solebat. Mercatores terrestri via utebantur, ita tamen ut fluminis cursum sequerentur. Stetten Geschichte von Augsburg I. pag. 148. et a. l.

2) Hüllmann, Deutsches Städtewesen I. p. 380 ex documento Konradi II, a. 1030.

3) Fischer l. l. II. pag. 480.

nuncium dictorum nostrorum civium mercatorum providebimus transmittendas.

Dat. die XVI Octubr. VII Indic

II. Nos Petrus Gradonico dei gratia Venec. Dalmac. atque chroac. dux dominus quarte partis et dimidii tocius Imperii Romanie per presentis instrumenti paginam Universis esse volumus manifestum — quoniam nobiles et prudentes viri Consules et Universitas civium in Augusta nobis per suas authenticas litteras insinuarunt asserentes quod mercatores eorum per occasionem Tholonei, quod apud nostram civitatem Venec. contra eos fuit indictum propter res ablatas certis fidelibus nostris, dampna pertulerant, que ipsi per antiquam amicitiam cum nobis et nostris diutius observatam illesam et in posterum observandam, de bonis sue communitatis resarcire volebant et arrestationem seu retentionem factam de ballis sive rebus et mercacionibus nostrorum mercatorum et civium apud Fauces sequestratis et retentis relaxationem volebant facere absolutam, nobis eis facientibus securitatem per publica instrumenta nostris sigillis signata, quod dictum tholoneum ab eorum mercatoribus non extorqueretur in amplius, atque eis propter sequestrationem predictam per nos aut nostros nulla molestia inferretur, sed pocius antiqua familiaritate et amicitia in nostro foverentur districtu — Ideo nos dux predictus nomine nostro et Universitatis et communis Venec. per presens instrumentum convenimus et promittimus ipsis consulibus et Universitati civium de Augusta, quod eis observantibus predicta pollicita et promissa per eos et predictas ballas res et mercaciones nostrorum civium mercatorum sequestratas et retentas, de quibus supra fit mencio et habetur intencio, liberas et absolutas restituentibus et relaxantibus, prout in eorum litteris, de quibus supra fit mencio, conveniunt et promittunt, et ipsis ballis, rebus et mercacionibus sequestratis et retentis libere et absolute restitutis et relaxatis predictum tholoneum ab eorum mercatoribus non extorquebitur in amplius, nec ipsorum mercatoribus propter sequestracionem predictam inferetur per nos vel nostros mo-

lestia vel gravamen, sed pocius cum familiaritate et amicitia in nostris districtibus tractabuntur. In cuius presentis instrumenti cautellam et fidem iussimus eidem subscribi per manum nostri notarii infra scripti, ipsumque nostra bulla plumbea pendenti communiri.

Dat. in nostro ducali palacio die decimo septimo
Octubr. Septime Indic. MCCC octavo.

Ego Marcus Siboto Imperiali auctoritate notarius et ducatus Venec. scriba predictis omnibus interfui et de mandato pred. domini ducis illustris me subscripsi de signo meo solito roboravi; predictis anno, indictione, mense et die in ducali palacio venec., presentibus nobilibus viris dominis Marco Contareno, Marino Fuscareno, Thoma Barbarico, Nicolao Zane et Andrea Marcello consiliario (is?) eius.

Ex his igitur documentis cognoscitur tunc temporis iam floruisse inter Venetos et Augustenses mercaturam, imo ipsa alterius verba „antiquam amicitiam — diutius observatam“ diserte testantur; quae non merae urbanitati tribui posse existimo. Iam vero discrepantia quaedam qualibet de causa orta erat; ideo Augustenses Venetorum mercatorum res in intinere retinuerunt apud Fauces (nunc Füssen, oppidum ad Licum superiorem prope Tiroliae confinia situm), Veneti contra talionis iure usi illorum mercatoribus, qui Venetias veniebant novum tributum (tholoneum vel teloneum) imposuerunt, quo et damna suis illata repararentur et illi cedere cogerentur.

Nempe solita haec erat ratio, qua in huiusmodi discrepantiis sedandis Veneti utebantur; scilicet ne omnino commercii consuetudo saepius hoc modo turbaretur, prudenti quadam moderatione uti malebant, quam vim vi rependere; unde cognoscere licet, quantum et ipsis commodi ex frequenti mercatorum concursu provenire senserint; itaque securum illis aditum praebebant, hac tantum conditione reservata, ut ab eius civitatis mercatoribus, a qua iniuriam aliquam sibi videbantur esse perpessi, maiora quaedam ac plura quam a reliquis vectigalia exi-

gerentur [1]) Exemplo nobis sit edictum Petri Ziani Ducis a. 1226 editum, in quo diserte haec ratio pronuntiatur. Quum enim in Ungariae regno saepius Veneti mercatores rebus suis fuissent spoliati et frustra ex rege damni restitutio esset quaesita, iam Senatus non par pari referendum duxit, sed hocce a Duce edictum editum est. [2])

P. Ziani dei gratia venec. dalmac. etc. universis mercatoribus ex regno Ungarie ad Venec. venire volentibus salutem. Volumus enim, quod in ducatus nostri districtum securi veniatis ac abinde recedatis videlicet in personis et rebus, ita dumtaxat quod fisco nostro persolvatis ad racionem cuiusquam (que?) centenarii lib. nostre monete s. XXX de hiis que vobiscum visi fueritis aportare. Dat. Venec. ann. dni MCCXXVI, mense mad. Indic. XIIII. hanc autem dationem tolli volumus pro solutione rerum ablatarum venetis nostris illo in regno facienda, salvis aliis dationibus, quas in suo statu volumus conservari.

Iam vero ad Augustam redeamus. Solita via qua Augustam Veneti et in Italiam Augustenses ingrediebantur, ipsa illa fuit, quam istud anni 1308 documentum nobis indicat. Ab Augusta inde Licum sequebantur usque ad Fauces; inde Tiroliam intrantes Oenipontem pergebant, quod oppidum inde ab a. 1239 eo iure fruebatur, uti merces omnes undecunque portatae hic non subito praeterirent, sed per certum tempus in eo deponerentur civibusque ad emendum proponerentur [3]) (Niderlag — ius depositionis mercium). Tunc superatis montibus, qui Oeni vallem a regione Athesina separant iam inter altos Alpium montes ad huius fluminis viam se dirigebant latronibus nimirum saepe tentatam; inde iam plerique continue fluvium sequentes Veronam usque procedebant; alii iam inde a Tridento illo relicto et Brenta duce sumpta breviori itinere Venetias assequebantur. Et hac quidem via non Augustenses soli utebantur, sed omnes quicunque ex illa Germaniae parte in Italiam descendebant. [4]) Sine dubio multum in hoc itinere ipso

1) Huius rei exempla ex saeculo XIV petita vid. Mone Zeitschrift l. l. pag. 18. 21 al.

2) Liber Plegiorum seu Communis Num. 385.

3) Hormayr Gesch. Tyrols II. 279. 280.

4) Stetten, Gesch. v. Augsburg I. pag. 176.

flumine utebantur et in eo merces vehebantur; ideo homines quidam a Venetis instituti erant „custodes Athycis“ appellati, quibus curae erat, ut secure et sine impedimento navigatio procederet. [1]) Ceterum videas de viis ex Alpium Veronensium angustiis in planitiem deducentibus documentum a. 1472 (Mone l. l. p. 34); duae fuerunt, quibus legitime uti licebat; multi tamen mercatores portorii evitandi gratia illas circumibant et per tramites montium migrabant; contra quos illud edictum editum fuit.

Iam igitur ex documento supra allato a. 1308 et diu antea Augustenses et Venetos invicem esse negotiatos cognovimus. Videre autem in hac occasione licet, quam periculosum sit in huiusmodi rebus iudicandis singulis quibusdam scriptorum notitiis inniti. Refert Paullus de Stetten, anno 1320 Augustensibus ius esse concessum cum mercibus suis per Tiroliam transeundi. [2]) Qua re confisus Hüllmannus veram ante hunc annum non potuisse locum habuisse mercaturam contendit. [3]) At manifesto falsa haec concludendi ratio est in rebus ad aevum medium spectantibus; aliter enim indicandum, ubi de privilegiis, aliter ubi de legum iurisque ordinata quadam conditione agitur; privilegiorum autem in illis temporibus ea fuit ratio ut eum modo sacramenti vinculo obstringerent, qui ipse privilegium ad aliquem detulerat; caveri nimirum solebat in scriptis privilegiorum instrumentis, ut eadem etiam in posterum a successoribus observanda essent; sed tantum abfuit,, ut subsequens quisque ad quidquam se repu-

1) Caesar Cantú, Mediolanensis historiarum scriptor in libro: Scorsa di un Lombardo negli Archivj di Venezia. Milano e Verona 1856 leges magistratuum Venetorum edidit, qui „Vicedomini Lombardorum“ nominabantur. Uti postea videbimus, „vicedominos fontici“ Germanis mercatoribus praepositos fuisse, ita illi res mercatorias ad Italiam superiorem spectantes curabant. In eorum capitulari lex continetur lata a. 1277: „Quod Vicedomini Lombardorum solvant custodes Athycis“ (pag. 176.) Haud dubie illud fuit horum custodum officium, ut navigationis in Athesi securitatem curarent. Ceterum aliud nihil de iis inveni.

2) Stetten l. l. I pag. 96.

3) Hüllmann Gesch. des byzantinischen Handels pag. 86 Idem Deutsches Städtewesen I. p. 384.

taret obligatum eo quod a decessore esset promissum, ut ii, qui privilegia acceperant, secure eis uti non posse sibi viderentur, nisi mutato principe denuo sibi fuissent confirmata. Uti postea dici solebat — novus rex, nova lex, ita tunc, novus rex, novum privilegium. Neque solum mutato principe privilegia redintegrari solebant, sed etiam eodem regnante, si quae forte discrepantia irrepserat, ea sedata, nova promissionum ante factarum confirmatione opus esse plerumque existimabatur.

Quod si igitur a. 1320 Augustensibus ius fuisse concessum reperimus cum mercimoniis suis per Tiroliam migrandi, minime gentium hinc concludere licet, antea illam viam eis non patuisse. Documentum autem a Stettenio l. l. memoratum editum est ab „Adelheida Bohemiae regina, Tiroliae comitissa“; uxor ea fuit Henrici V Carinthiae ducis, Tiroliae comitis, quae ad mariti vicum (qui vivus adhuc erat; obiit enim a. 1335) sine dubio hoc privilegium edidit.[1]) Minime tamen inde sequitur, Augustenses mercatores antea ab hac terra fuisse exclusos; imo iam ante a. 1308 et Venetos et Augustenses hoc itinere mercatorio usos fuisse ex documento superiori manifestum est. Ad Venetos autem quod pertinet, epistolam afferre iuvat, quam eodem die a. 1308 ad Ottonem Carinthiae ducem senatus scripsit petiturus, uti merces ab Augustensibus restitutas secure per terram suam, scil. per Tiroliam portari sinat.[2])

Duci Ott. Karinthie.

Vestre Celsitudini denotamus, quod Consules et Universitas civium de Augusta per suas litteras insinuavit nobis - - - - - - (iam narrantur res cum Augustensibus actae eisdem fere verbis ut supra) Nos itaque visis eorum litteris predictis acceptavimus, sicut superius continetur, per publicum instrumentum, resti-

---

1) Henricus V Carinthiae dux etc anno 1306 Bohemiae coronam, quae tunc vacabat, petiit, primum contra Rudolfum Austriacum, tum contra Iohannem Luxenburgensem, Henrici VII Imperatoris filium. Post breve regnum expulsus titulum tamen regium Bohemiae usque ad vitae finem retinuit. Hinc fit, ut uxor Bohemiae se reginam nominet.

2) Otto Carinthiae dux etc. simul cum fratre Henrico erat, qui tum in Bohemia degebat. Vid. de utroque Fröhlich Specimen Archontologiae Corinthiae pag. 91 seq. et tabul. geneal. VI.

tuentibus ipsis ballas et res et mercaciones sequestratas predictas. Unde cum nostrum nuncium transmittamus ad eos pro dando eis instrumentum predictum et ballis ipsis recipiendis ab eis et Venecias conducendis, Celsitudinem vestram, de qua plene confidimus, affectuose rogamus, quatenus vobis placeat, taliter mandare illis qui de vestro mandato sunt apud fauces, quod dictas ballas sine impedimento inde permittant exire et per vestrum districtum conduci secure, preces nostras taliter admissuri, quod exinde vestris beneplacitis libencius intendamus.

Dat. XVII. octubr. VII. Indic.

Ceterum notandum est de Faucium oppido, quod in documento superiori reperimus, illic portorii exactionem ab utraque parte fieri consuevisse. Quum enim in confinio situm esset inter Sueviam et Tiroliam, altera ex parte ducis, ex altera Augustensium officiales instituti erant, qui portoria a mercatoribus exigerent. Hinc intelligitur cur „apud Fauces“ Venetorum illa bona fuerint „sequestrata et retenta“; minime enim de latronibus in hac re cogitandum; imo publica auctoritate factum fuit. Tiroliae autem ducem suos ibidem habuisse officiales ex antecedenti epistola patet, in qua verba leguntur „vobis placeat taliter mandare illis, qui de vestro mandato sunt apud fauces“, quae de vectigalium exactoribus haud dubie intelligenda sunt.

Sed haec quidem de hac via, quae olim frequentissima post labente paullatim ipsa Venetorum mercatura magis magisque derelinqui coepit. Sunt vero qui sperent fore, ut ipsis nostris diebus novus quidam splendor novaque frequentia in eam redundet, ad effectum scilicet ubi fuerit perductum grande illud consilium, quo iam isthmum inter Africam et Asiam positum perfodere tentant; hac re expedita fieri sane poterit, ut ad antiquam sedem Venetam denuo aliquando commercium redeat (nisi forte opulentior ad se rerum summam tractura est Tergeste) et exinde iter iamdiu desertum redintegretur. Sed haec quidem adhuc θεῶν ἐν γούνασι κεῖται.

Iam vero, ut ad inceptum redeamus, mercatura inter Venetos et Augustenses saeculo XIII haud dubie iam inchoata magnopere aucta est sequentibus. Celeberrimas illas mercatorum Augusten-

sium familias, Welser et Fugger nominatas, haud exiguam divitiarum partem commercio cum Venetis gesto sibi parasse vulgo constat. [1]) Tantaque facta est inter utramque urbem necessitas, ut alterius multi cives in altera negotiandi causa non modo perpetuum sibi domicilium constituerent, verum etiam in ipsam civitatem interdum reciperentur. Ita, ut exemplo utar, a. 1368 senator Augustensis nominatur „Johann der Priol“ vel „Hanss Prizl“; [2]) post eodem anno in enumerandis 51 procerum familiis, quae tum Augustae vigebant, commemorantur „die Briol“. [3]) Alio eiusdem libri loco mentio fit de cive quodam Augustensi „Sebastian Georg Zorzi“. [4]) Dubium mihi non videtur, quin utriusque familiae origo ad Venetos sit reducenda, quorum inter nobilissimas familias „Priuli“ et „Giorgi“ (vel ad dialecti veneti normam Zorzi) fuisse constat.

Sed Veneti quoque saepius mercatores Germanos sua civitate donabant, ita tamen, ut privilegium hoc eis concessum semper certo aliquo annorum numero includeretur; ea insuper addita lege, ut a maritima mercatura abstinerent, quae non nisi certis restricta conditionibus eis concedi solebat. [5])

In universum autem dignum est notatu, sicut terrestri Germanorum mercaturae omnibus modis Veneti faverint, ita summa eos invidia cavisse, ne maritimae illi accuratiorem sibi cognitionem pararent; veritos nimirum, ne forte ipsi eo animum inducerent, ut proprio Marte orientis portus peterent; id quod summo sibi periculo fore existimabant. Itaque vel hoc lege cautum erat, ne in navibus suis mercatoriis, quae quotannis Aegyptum et Syriam petebant, peregrinum quemquam eo liceret conducere; ea

1) In fontico Theotonicorum olim conclave quoddam fuit Fuggerorum familiae proprium (camera dei Foccari), quod tanto resplendebat suppellectilis et ornamentorum nitore et copia, ut inter res maxime notabiles reputaretur. Sansovino, Venezia descritta p. 366.

2) Stetten, Gesch. v. Augsburg I. p. 108. 115.

3) Ibid. pag. 116.

4) Ibid. pag. 809.

5) Exempla vid. Pertz Archiv IV pag. 201 seq. Solita formula est: N. N. datus est pro veneto XV annorum.

sine dubio mente, ne huius mercaturae opportunitates et quasi secreta alii explorarent. Exceptiones in hac re factas sane invenimus, sed his ipsis docemur, quantum in illa lege servanda posuerint momenti. Exemplum juvat afferre. Anno 1421 mercator quidam Norimbergensis Hierosolymam peregrinari cupiens a Senatu petiit, ut navi Veneta in Syriam proficiscente in hoc itinere uti sibi concederetur. Et ipso documento de hac re scripto, quanta dubiorum, quanta conditionum copia intercesserit, cognoscere licet. [1])

> Cum probus vir Zuffredus de norimbergo mercator solitus hic conversari iam triginta annis et ultra, qui est homo optime qualitatis et fame et per literas commendabilis viri Giulielmi rumel, [2]) qui in agendis nostri dominii plurimum se exercuit, ut est manifestum, supplicaverit, ut dignemur providere, quod cum galeis nostris a mercato possit cum duobus famulis ire ad sanctum sepulcrum, ut presto possit repatriare — Vadit pars, quod dicta pars prohibens, quod cum galeis nostris a mercato non possint ire peregrini, in tantum suspendatur, quod concedatur eidem Zuffredo, quod possit levari super galeis nostris Baruti et conduci ad Zaffum (i. e. Joppe), ut ire valeat ad sanctum sepulcrum — — — tamen remanente dicta parte in omnibus aliis in sua firmitate.
>
> De parte 96 — De non 5 — Non sinc. 1.

Venimus iam ad aliam civitatem, ad Norimbergam. Multa videlicet, quae de hac ad mercaturam Venetam spectantia essent dicenda, eis continentur, quae antea de Augusta disserentes iam commemoravimus. Quae non est, quod repetamus. Quando primum cum Venetis commercia Norimbergenses inierint, haud magis patet, quam de reliquis. Atqui contra se ipsum disserit Rothius, ubi eius rei vestigia ante saeculum XIV reperiri negat; [3]) ipse enim paullo post mercatorem quendam Norimbergensem, Conradum Ebner, qui cum Venetis negotia habuerit, tantas

---

1) Deliberationes Senatus. Mixta. ad d. 5. August 1421.

2) Is a. 1418 una cum Friderico Norimbergae comiti paci inter Venetias et Sigismundum Imperatorem componendae se interposuerat.

3) Roth, Geschichte des Nürnberger Handels I. p. 43.

inde acquisivisse divitias narrat, ut a. 1276 Rudolfo I. Imperatori magnam pecuniae summam mutuam dare posset.[1]) Et sine dubio eadem hic statuenda sunt, quae antea quoque probanda nobis sumpsimus, longe scilicet initia mercaturae Germanico-Venetae ante esse quaerenda, quam manifesta nunc exstant documenta et quam plerisque videntur. Norimberga autem ab initio inde summam rei in industria et mercatura posuit; ipsa agri sterilitas eo cives induxit eademque effecit, ut mox a plerisque imperatoribus privilegiis donarentur de mercatura in plurimis imperii partibus exercenda.[2]) In dies vero magis crevit eorum auctoritas et opulentia, ex quo primum coeperunt orientis et Italae industriae mercibus ex meridionalibus regionibus ad septentrionales se interponere, propriaeque industriae artiumque opera illuc conducere. Inde mox ferme primae partes in hac mercatura agenda ad eos cecidisse videntur; in actis publicis saeculi XIV et sequentium, quae apud Venetos continua abhinc serie supersunt, Norimbergensium longe frequentissima omnium commemoratio invenitur; in illis notitiis, quae ex nostratium parte conservatae sunt, duae praesertim hoc respectu Norimbergenses familiae nominantur, Ebner et Behaim, qui ante reliquos commercio Veneto studuisse feruntur;[3]) mox alii subsecuti sunt. Supra iam commemorata a nobis est aemulatio quondam inter hos et Ratisbonenses de primi loci in fontico Theotonicorum obtinendi honore coorta; quem quamvis tunc non consequerentur, facto tamen sine dubio primi vel inter primos iam eo tempore existimabantur. Neque minor Venetorum copia fuit, qui viam Norimbergensem („caminum de Norimberga" ut dici solebat) tentabant.[4])

---

1) Ibid. I. p. 54.

2) Ibid. I. pag. 6 seq. Saepe agri sterilitas in documentis diserte memoratur — unser statt, die dann auf durrem, sanntigen unfruchtperm erdtrich gelegen ist. Docum. a. 1470 a Friderico III editum, ap. Chmel Regesten Friedrichs III Num. 6120.

3) Roth l, l. I. p. 51 seq.

4) Quae per Tiroliam et Sueviam conducit via supra descripta, fere κατ' ἐξοχήν „caminum de Norimberga" appellatur. Ceterum alia quoque via Italiam Norimbergenses petebant; frequentissimos enim mercatus,

Rei autem natura efficitur, ut de huiusmodi rebus rariores nobis affluant notitiae, ubi suo ordine sine turbis et impedimentis quaeque procedunt, frequentiores contra tum nobis praebeantur, quum propter temporum iniquitatem, seditiones, bella intestina aliasve caussas incommoda multa et commercii perturbationes nascantur. Interrupta tum scriptorum de his rebus silentii consuetudo, aucta documentorum copia. Nimirum stomachum, ut quidam ait, se habere non sentit, nisi cui impedita est digestio.

Huiusmodi autem turbae frequentes admodum incidisse videntur circa medium fere XIV saeculum. Quae arcte sine dubio cohaerent cum turbis civilibus, quae post et iam ante Ludovici Imperatoris mortem (1347) universum imperium commovebant. Frequentissima his annis mercaturae Norimbergensis eiusque perturbationum in actis Senatus Veneti mentio. Neque mirum; feroci enim contentione omnia tunc miscebantur; duae inter se factiones de imperio obtinendo dimicabant, altera Bavarica, altera Bohemica vel Luxemburgensis; vivo adhuc Ludovico imperatore saevissima per totam Tiroliam proelia;[1]) mox eo defuncto in ipsa civitate Norimbergensi acria illa inter nobiles et tribus populares certamina (1348); accedunt bella inter comitem Würtenbergensem et civitatum Suevicarum foedus anno sequenti exorta, nec minus illa, quae eodem tempore Helvetiis Albertus Austriae dux intulit — denique tota superior Germania unico quodam belli ac seditionis turbine videbatur correpta. Ita rebus se habentibus fieri non potuit, quin mercaturae quoque tranquillitas infringeretur; nec legum, nec privilegiorum ulla amplius ratio habetur — vi cuncta aguntur. Itaque frequentissimas his annis invenimus Venetorum de mercibus direptis querelas.[2]) Anno 1346 tres senatores deliguntur, qui

„super facto ballarum et mercationum nostrorum fidelium arrestatarum in Norimbergo et super facto inpedimenti strate Alemanie“

---

qui Aquilejae quotannis habebantur (in quibus zaffaranum praesertim venum ibat) saeculo XIV adibant. Inde facile in Italiam pergebant. Roth l. l. I. p. 43.

1) Pelzel, Kaiser Karl IV I. p. 172.

2) Deliberat. Senatus. Mixta Tom. XXIII et seq.

inquirant et sententiam de remediis adhibendis proponant. Anno post Norimbergensium legatos apud Venetos versari videmus de his rebus tractantes, qui nihil profecisse videntur. Iam vero notandum est hoc loco, viam Norimbergensem magni illis momenti fuisse non solum propter commercium, quod ipsi cum hac civitate habebant, sed etiam quia in ea pergentes ad Rheni regiones et inde in Flandriam procedere consueverant, cum qua tum iam florentissimum exstitit et maritimum et terrestre commercium. [1])

Iam quum ab hac via turbis illis Germanicis praecluderentur, aliam, dum illae essent finitae, inire coacti erant; itaque inde ab illis seditionibus usque ad a. 1351 mercatores Venetos Flandriam petentes per Helvetiam iter cepisse invenimus; inde a Basilea haud dubie Rhenum sequebantur et ita in Flandriam proveniebant. [2]) Sed parum eos mutata via iuvasse videtur, quippe quia „propter multitudinem et diversitatem dominorum qui sunt super ipsum caminum“ frequentes mercatorum direptiones a notissimis illis equitibus, qui per totum aevum medium Rheni ripas latrociniis agitabant, exercebantur. Fuit et alia sane adhuc via, qua eodem pergere potuissent, ea scilicet quae per Sabaudiam et Franciam conducebat; sed ne hanc quidem inire posse sibi videbantur „absque maximo periculo et sinistro tam per dominum regem Francie, quam per dom. comitem Sabaudie“. Itaque illo anno denuo operam Veneti dederunt in solita via Norimbergensi pactionibus cum terrarum adiacentium principibus conclusis restituenda. Internuntium miserunt ad marchionem Brandenburgensem, qui Tiroliae

---

1) Primum a. 1318 Venetorum naves mercibus onustae Antverpiae portum incurrisse feruntur. Guicciardini Totius Belgii descriptio. Ed. 1652. 12⁰. pag. 232. Sed conferas Göttinger Gel. Anzeiger 1857. Stück 184 seq.

2) Senatusconsultum ap. Mone l. l. pag. 20, d. d. 11. Octobr. 1351: Cum per presens caminum Basle, quod frequentatur hodie etc, unde hanc viam inusitatam eis fuisse satis elucet; et mox: neque aliud caminum haberi possit ad presens, quia caminum de Norimbergo non est in aconcio (h. e. in ordine, securum).

simul tunc comitatum tenebat [1]) et ab eo petierunt, ut pristino ordini res redderet. Donis et promissionibus ille eo pervenisse videtur, ut denuo itineris securitatem Venetis polliceretur; sed vana et haec fuit; mox enim novum reperitur Senatus consultum:

1353 d. 21. Sept.

Quod mittatur una persona sufficiens ad Marchionem Brandiburgensem una cum nuncio suo ad persentiendum caute de causa per quam revocavit securitatem quam promiserat nostris mercatoribus. [2])

Sed iam mense sequente discordiae sedatae esse videntur. Ludovicus marchio legatum de his rebus ad Venetos misit, quocum ita egisse videntur, ut pristinus ordo abinde iam rediret. Documentum quod de hac legatione superest a Monio omissum hic adiungo.

1353 d. 29. Oct.

Cum quidam ambaxiator dni marchionis Brandiburgensis huc venerit pro facto securitatis camini de Norimberga et provisores communis contulerint cum ipso ambax. et etiam cum mercatoribus, qui utuntur per illud caminum, quod quidem mercatores contenti sunt de his que fient per dominium et dictos provisores, qui de hoc facto sunt plene informati — vadit pars, quod dicti provisores pro securitate dicti camini habeant plenam libertatem per maiorem partem eorum tentandi et complendi illud quod fuerit necessarium cum ambaxatore predicto, exceptis autem [et] promissionibus donorum fiendorum dicto domino Marchioni. Pro bono et securitate dicti camini possint ipsi provisores imponere pedagium super omnes et singulas ballas cuiuscunque condicionis, que de Venec. quocunque modo mittentur in Barbant. Frandi. (h. e. Flandriam) et in quamcunque aliam partem et facerent transitum per dictum caminum. Et similiter que de supradictis partibus conducentur quocunque modo Venecias vel in aliam partem, que facerent

1) Cogitandum de Ludovico marchione, Ludovici imperatoris filio, qui cum uxore Margaretha (nom. Maultasch) Tiroliae comitatum acceperat.

2) Deliberat. Senatus Mixta Tom. XXVI.

transitum etc. Et denarii sic impositi exigantur per vicedominos Lombardorum prout in simili casu soliti sunt. Possint insuper dicti provisores dare ordinem conducentibus dictas ballas et penam et penas imponere prout eis videbitur et ipsas exigere et conducentes privare de conducendo ipsas, si ipsis videbitur. Et sic constet etc. [1])

Abhinc rarior rursus in actis sequentibus Norimbergae mentio, unde mercatores iam tranquillo itinere gavisos esse concludas. Sed haec quidem longius enarrare volui, velut exemplum et episodium quoddam, ut ex ipsarum vicissitudinum aspectu eo clarius viva ac propria harum rerum natura appareat.

Ceterum iam mitto de crescenti usque mercaturae extensione, quae saeculis sequentibus subsecuta est, amplius disserere. Apud omnes constat, quantum splendorem, quantam opulentiam XV praesertim saeculo Norimberga sit assecuta, ut jure „quasi centrum Europae propter concursum mercatorum“ appellari posset; et eo usque aucta est inter hanc civitatem et Venetias amicitia et mutua confidentia, ut in rebus quoque ad mercaturam non pertinentibus altera alterius officiis uteretur. Ita a. 1506 Norimberga legatos Venetias misit de legislationis suae quodam capite Senatum consulturos; petebant enim „ab Illustrissimo dominio statuta et leges venetas circa orphanos et pupillos“. [2]) Item quum tribus annis post magno periculo undique conflato Veneti premerentur, petierunt a Norimbergensibus, ut ipsi pacem inter se et Maximilianum imperatorem componere studerent. [3])

Disseruimus iam de tribus praecipuis Germaniae superioris civitatibus, quae commercia cum Venetis habebant. Neque tamen solae illae fuerunt; imo pleraeque huius regionis civitates, quotcunque ampliori mercaturae studebant, ad illud commune omnium emporium iter dirigebant. Quas hic non enarramus, tum quia longum est, tum quia novi quicquam de iis addi vix posset, quin de superioribus aeque valeret.

Sed iam de Austria pauca sunt addenda. Exstat documen-

1) Deliberat. Senatus. Mixta. vol XXVI.

2) T. Gar, Catalogo dei Codici Storici della Collezione Foscarini. Archivio Storico Italiano V. p. 410.

3) Pirkheimeri Opera ed. Francof. fol. p. 197.

tum anni 1244 de portoriis ad urbem Neustadt [Wienerisch N.] solvendis, in quo verba inveniuntur haec: Item Veneti dabunt de Saum viginti quatuor frisacenses denarios, in reditu vero duodecim frisacenses et triginta denarios Viennenses[1]. Quae quamvis clare et manifesto mercaturam Austriaco-Venetam iam medio saeculo XIII vindicare videantur, fuit tamen qui de re contenderet. Argumenta tamen quae contra afferuntur, non admodum valida existunt. Hüllmannus enim priori tempore terrestrem Venetorum mercaturam „propter situm urbis" non „activam" sed „passivam" fuisse contendit[2] (id quod tum ex situ urbis neutiquam concludi potest, qui omni tempore idem fuit, tum iis refutatur, quae antea demonstravimus e. gr. eo documento anni 1226, quod pag. 17 dedimus); itaque ut ex isto documento Venetos in Austria negotiantes auferat, non Italos scilicet illos fuisse ait, sed eos Venetos indicari, qui per Carinthiam et Carniolam degunt (Wenden). Vim verbis hac explicatione inferri nemo non videt; de ipsis nostris Venetis haud dubie cogitandum.

De via autem, qua in hac regione procedebat mercatura, varia exstant documenta. Magni illi mercatus Aquilejae quondam habiti (pag. 23 n. 4.) primum hanc viam Austriacis demonstrasse probabile est[3]. Mox alio itinere per terram Foroiuliensem eos accurrere videmus; varia loca nominantur, quae mercatores transalpini in hoc itinere attingere solebant; e. gr. Tarvisium (Treviso)[4], Portus (Portogruaro vel Pordenone)[5], Glemona (iam Gemona ad superiorem Tilaventi fluminis partem sita)[6], Venzone (germ. Peuscheldorf, prope confinia Carinthiae in montibus situm)[7], Latisana et alia quae praetereo. Ex his linea iam

1) Hormayr, Taschenbuch für die vaterländ. Geschichte. 1812. pag. 77.

2) Hüllmann deutsches Städtewesen I. pag. 346.

3) Hormayr, kritisch-diplomat. Beiträge z. Gesch. Tyrols im Mittelalter II. 391. 392.

4) Mone l. l. pag. 18.

5) Ibid. pag. 30.

6) Ibid. pag. 30. Raumer, Hohenstaufen V pag. 393.

7) Kurz Geschichte des östreich. Handels. Beilage XLVII.

cognoscitur, qua processerint; per angustias illas Carnicarum Alpium ad oppidum Ponteba vel Pontafel sitas (Ponteba-Pass) Carinthiam Veneti, Italiam Germani intrabant; unde varia itinera Veneti prosequebantur, quae enumerare longum est.

Ceterum intuentibus nobis documenta quae exstant de mercatura Austriaca, mirum videtur, quanta in illis restrictionum et impedimentorum cuiusque generis copia reperiatur, quibus ipsi terrae principes liberum commercii motum coercebant. Saeculo XIV et XV praesertim cognoscere hoc licet. Primum enim non omnibus licebat directa via cum Venetis negotiari; privilegio a principe edito opus erat; quod ubi cuiusdam oppidi cives erant assecuti, minime iam plenam procedendi libertatem habebant, sed certo quodam itinere uti debebant accuratissime circumscripto. Itaque e. gr. a. 1386 omnino interdictum fuit ab Alberto Duce, ne mercatores in Italiam proficiscentes ea via uterentur, quae est per Alpes Julias („über den Karst"); contra omnibus praescriptum erat, ut, si ex Austria propria venirent, vel in eam proficiscerentur, sola ea via uterentur, quae per montem Semmering conducit; inde vero Italiam versus haud modicis ambagibus ad oppidum Villach erat procedendum, et hinc tandem in Italiam intrare licebat [1]). Minime vero haec universa omnium lex fuit; quinque Austriae superioris oppidis via directa uti permissum erat; eandemque permissionem assequi haud dubio poterat, quicunque auro eam a principe emere vellet. Caussam vero huius rei, quae ad mercaturae utilitatem haud sane fecisse potest, si quis quaerat, respondendum est, tanto magis eam ipsis principibus commodo fuisse, qui magnum inde lucrum quaerebant. Quodsi igitur urbs quaelibet principis favorem aut donis aut praecipua rebus in arduis fidelitate aut alia quacunque ratione sibi comparavit, privilegio quodam mercatorio donari solebat, quod ipsi magno commodo, reliquis omnibus incommodo cessit. Quod autem de urbibus, simile valet de singulis personis — privilegiis cuncta niti videntur.

Ad has considerationes praecipue inducimur, ubi documenta

1) Kurz Geschichte des östreich. Handels. Beylage II. III.

ad mercaturam spectantia intuemnr, quae ex Friderici III imperatoris tempore haud rara supersunt. Non dissimilis enim illius ratio fuit, qua in huiusmodi procedere solebat, ab illa quam in totius imperii rebus tractandis adhibebat. Incredibile quanta in illis documentis inveniatur vectigalium, quanta restrictionum, privilegiorum cuiusvis modi copia; innumerabiles ille rationes invenire valebat, quibus res omnes ad suum commodum et ad pecunias undique extorquendas vertere studebat[1]). Huiusmodi res quamquam in aliis quoque terris et principibus inveniri minime negaverim, vix tamen eo rapacitatis multos esse progressos crediderim.

Omnium Austriae urbium ipsa Vienna mox primas egit partes. Praecipuis privilegiis inde a primis temporibus instructa est, quae postmodo fuerunt ab omnibus fere principibus confirmata et aucta. Rei rationem intueri licet, quum in vetere quodam vectigalium indice, qui superest, vectigalia a Viennensibus soluta cum illis comparamus, quae a reliquis mercatoribus exigebantur. Ita e. gr. in quodam loco singula plaustra Venetias proficiscentia quibuscunque mercibus onusta 2 denarios solvebant, si Viennensium erant, 12 denarios, si ex alia Austriae urbe, vel ex Styria, Carinthia etc. proveniebant[2]). Unde reliqua similiter se habuisse concludas. In ipsa autem urbe aemulatio saepe fuit inter magnos mercatores (Kaufleute) et eos, qui minutiori mercaturae studebant (Krämer); quippe illi solis sibi licere contendebant Venetias proficisci mercesque inde petere; itaque a. 1432 edictum fuit, ne mercatores minuti directe cum Venetis negotiarentur[3]); post ubi nimis hoc molestum videbatur merciumque pretia eo

1) Exempla quibus haec sententia fulcitur reperiuntur ap. Chmel Materialien z. östreich. Gesch. et plura passim apud eundem: Auszüge aus einem Copialbuch Friedrichs III. in — Notizenblatt zum Archiv f. Ö. G. Q. 1852. 1853.

2) Indicem fere medio XV. saeculo conceptum vid. ap. Kurz l. l. Beylage LIII.

3) Item es sollen auch die kramer nicht gen venedig varen, reiten, noch schicken nach kaufmanschatz, sunder nur solhe — — — hie zu wienn kauffen und von den kauffleuten die hie Recht haben hin zu gehen. Kurz l. l. pag. 403.

cariora evadebant, illi quoque eandem licentiam obtinebant — ut ubicunque in his rebus mera privilegiorum certamina cognoscas.

Inserere hic iuvat documentum quoddam ad Austriacam mercaturam pertinens, quo tum ratio cognoscitur, qua singulus quisque non sufficiente publica securitate rebus suis ipse consulebat; tum mercimoniorum, quae plerumque in mercatu erant, quasi specimen proponitur.

1419 d. 19. Aug.

Capta.

Cum sit quidam Johannes hoder mercator de Salzisburch qui vellet hinc extrahere deferendo per viam civitatis Austrie Forojulii species, videlicet peper, zinziber, zafaranum, cominum saponum et bombicem ad valorem duc. $\overset{m}{\text{x}}$ per conducere Salcisbores, et conducere huc per dictam viam panos, tellas, terlisias, fillum, aurum et argentum, ob quod cum habeat per medium domini Archiepiscopi de Salcisborg salvum conductum Patriarche Aquilegie de possendo transire cum dictis rebus, petit etiam nunc salvum conductum possendi hinc extrahere et huc conducere, ut dictum est, promittendo de rebus predictis nichil dimittere in partibus Forojulii dando bonam fidei jussionem de observantia dicte promissionis — Vadit pars, cum hoc cedat ad bonum terre nostre et commodum mercatorum nostrorum, qui expediunt eorum (sic) mercationes, quod dicto Johanni hoder fiat et concedatur salvus conductus sicut petit, durantibus tribus ms. et similiter concedatur quibuscunque aliis qui vellent hinc extrahere mercantias et huc conducere de mercantiis suis. Solvent omnibus predictis datia consueta predictis mercationibus[1]).

De parte 101. De non o. Non sync. o.

Quum adhuc de iis regionibus locuti simus, quae quasi primum in re nostra ordinem repraesentant, tum locorum vicinitate tum praecipua in rebus mercatoriis auctoritate, superest iam, ut

1) Deliberat. Senatus. Mixta ad a. 1419.

eas quoque Germaniae partes paucis perlustremus, quae secundo quodammodo ordine cum Venetorum mercatura cohaerent. Quae paucis quibusdam notitiis tantum attingam. Mercatores Veneti scilicet eas regiones agressi, quas iam descripsimus, mox ulterius procedere inceperunt et in terras remotiores mercaturam suam extendere. Quo fit, ut eae civitates, quibuscum praecipue negotiari Veneti solebant, velut Norimberga, Ratisbona, Vienna etc. iam eo quoque respectu sint considerandae, quod per easdem in regiones finitimas et remotiores transire mercatores consueverunt. Neque dico de ea transvectione mercium, quae per illas civitates fiebat — quae huc non pertinet; sed considerandum est, quae inter harum Germaniae partium incolas et Venetos directa coniunctio intercesserit. Haec vero res reducenda erit ad tres praecipuas fluviorum lineas, quae per Germaniam mediam et inferiorem reperiuntur; has sequentes notabimus tres urbes velut praecipua in his regionibus mercaturae Venetae emporia: Coloniam, quae ad Rheni, Pragam, quae ad Albis, Vratislaviam quae ad Viadri lineam pertinet; inde si a fluminibus ad ora procedas, tria maria his emporiis complecti animadvertes, Atlanticum, quod vocatur, septentrionale et balticum.

De via Rheni iam supra quaedam a nobis sunt notata. Ea praecipue coniunctionem efficit inter Germaniam superiorem et territorium hanseaticum occidentale. Sed Venetiae quoque locum in ea habuere. Iam saeculo XIV Flandriae et Brabantiae urbes a mercatoribus Venetis terra fuisse frequentatas supra vidimus; tria fuerunt itinera, quibus illuc procedi poterat: „caminum Basle“ (h. c. Basileae) „caminum de Norimbergo“, denique „caminum de Francia“[1]). Ex quibus alterum Norimbergense maxime adiri solebat; a Norimberga inde Veneti ipsorum Norimbergensium vestigia sequebantur, quibus iam diu cum Anversa, Brugia reliquisque Flandriae et Brabantiae urbibus multum fuit commercii. Francofurtum et Colonia inter praecipuas stationes nominantur[2]). Item mercatores Colonienses

1) Mone l. l. pag. 20. in documento anni 1351.
2) Hüllmann d. Städtewesen I. pag. 389.

et Flandrenses apud Venetos versantes haud raro memorantur[1]). „Caminum de Francia“ idcirco saepe praeferebatur, quia in eo simul celebres illas nundinas, quae Lugduni habebantur, visitare poterant; inde per mediam Galliam ad Rheni ora pergebant. Iter Helveticum oppidis Constantia et Basilea definitur.

Altera linea flumine Albi describitur; pertinent huc magna fluviorum copia, qui cum Albi se coniungunt et magnum territorium circumscribunt — territorium, ut termino universali hic quoque utar, hanseaticum medium, quod ad maris septentrionalis oras patet. Nobis praesertim consideranda est Bohemia, quae ad hanc regionem pertinens mox in mercaturae Venetae circuitum recepta est. Saeculo XIV satis florentem inter Bohemiam et Venetias fuisse negotiationem constat; quae forse circa eiusdem saeculi initium vel paullo ante primum instituta est. Est mihi de hac re documentum quoddam anni 1308; quo quum haud sciam an antiquius iam constet, hic non omittendum duxi.

Serenissimo et potentissim odño hanrico dei gratia Boemie Regi Illustri plurimum honorando Petrus Gradonico eadem gratia etc. salutem et votive felicitatis et glorie incrementum[2]).

Expositione providi viri Johannis de Avanzo nostri fidelis nuper habuimus, quod dum idem Johannes suo et societatis sue nomine per quendam negociorum suorum gestorem, nomine cozi vidalotti de florenc. ad partes regni vestri Boemie quendam faldonum magni valoris dudum misisset, quo faldono ibidem dimisso penes Nicholaum de pola et Marcolinum de bonensegna nostros fideles degentes in partibus supradictis, idem cozi ad has partes reversus et postmodum discordatus ab eodem Johanne ad ablationem dicti faldoni dicitur aspirare ipsum [sci-] licet mendacitur asserens esse suum — — — — Serenitatem Regiam attente rogamus, quatenus, si quod impedimentum contingeret fieri occasione predicta Johanni de

1) Mone l. l. pag. 18 et alias.

2) Codex Epistolarum Num. 105. Intelligendus est Henricus Bohemiae rex, Carinthiae dux, de quo supra (pag. 19. n. 1.) diximus. Tunc quidem adhuc revera regnum obtinebat, quod mox perdidit.

bonensegna fideli nostro exhibitori presencium et nuntio dicti nostri fidelis illuc accedenti nuperrime pro accipiendo faldonum eundem nomine predicti Johannis et sue societatis, verorum dominorum ipsius, dignetur maiestas Regia impedimentum quodlibet facere removeri etc. etc.

Hinc igitur patet, anno suprascripto iam adeo usitatum fuisse mercatoribus Venetis directe cum Bohemia negotiari, ut quidam etiam domicilium illic caperent. Si locus datur conjecturae unici sane vocabuli auctoritate nixae, domum quandam Italos mercatores Pragae olim habuisse conjecerim illis consimilem, quas hanseatici negotiatores Londini, Antverpiae et alias, Germanici Venetiis habebant. In documento anni 1348 huiusmodi domus commemoratur: „das Haws in der wenyczen Stat zu Prag das man nennet der Walhenhoff, das do gelegen ist an der Brucken der Multau.“[1]) Iam vero hanc vocem: „der Walhenhoff“ si quis interpretari voluerit, ista ratione facillime fieri posse existimo; vertendum autem fere esset ad coaevi sermonis latini normam „fonticum Italorum“, quemadmodum fonticum Theotonicorum apud Venetos cognovimus.

Non desunt vero alia documenta, quibus mercaturae Bohemo-Venetae frequentia probatur, quae Karolo IV. regnante praecipuum splendorem videtur assecuta esse[2]). Solitum iter per Austriam fuit in cuius capite Vienna merces ex antiquo privilegio per aliquod tempus erant deponenda[3]); veri simile autem est, aliud quoque iter, quo Norimbergam vel Ratisbonam attingebant, a mercatoribus Pragensibus non fuisse desertum. Celeberrimum autem est Karoli IV. illud consilium, quo magnam et cohaerentem mercaturam constituere tentabat, quae a Ponto Euxino et a sinu Adriatico usque ad mare septentrionale et balticum nexu continuo pateret et universam fere mercaturam ab

1) Pelzel, Kaiser Karl IV. Vol. I. Urkundenbuch LVI. pag. 67. Ceterum vide de voce „Walhen“ Hüllmann l. l. I. p. 235 sq.

2) Pelzel l. l. II. Urkundenbuch pag. 237. 336. 337. 367.

3) Documentum Alberti Austriae ducis, qui per 4 annos Bohemiae mercatores ab isto privilegio liberavit Pelzel l. l. II. Urk. Num. CCCVIII. Conf. Notizenblatt z. Archiv f. Ö. G. Q. 1853. p. 310.

Europa meridionali ad terras et maria septentrionalia tendentem per terras sibi subditas dirigeret. Quod effici posse sibi persuaserat ita, ut Albim et Danubium coniungeret fossa inter hunc et Moldaviam fluvium percutienda; quo facto mercaturam in hanc viam protinus se fore totam conversuram et Pragam intermedium quasi emporium inter Mediterraneum et balticum mare evasuram. Praeterea etiam privilegiis mercatores undique in urbem suam allicere studebat, ita ut Praga, verum totius imperii tunc caput in mercatura quoque summam fortunam consequeretur, quamvis illud fossae consilium postea Karolus deponeret.

Commemoranda denique tertia linea nobis est, quae Viadro flumine et Vratislavia urbe describitur; hac Adriaticum cum baltico mari, Venetiae cum hanseatico territorio orientali coniunguntur. Directum inter Venetos et Vratislavienses commercium plura testantur documenta. Quod quando initium ceperit, haud facile dictu; at post sine dubio quam cum Pragensibus Veneti negotiari coeperunt, quoniam inde a Bohemia in Silesiam eos processisse verisimile est. Vratislavienses cum Venetis negotiantes exeunte fere XIV. saeculo commemorantur; a. 1397 Marcus et Bartholomaeus Paruta Veneti a Francisco Dumloz Vratislaviensi debitum quoddam per procuratorem illuc missum exigendum curabant; similis controversia postea ad a. 1440 narratur[1]).

Et hoc quidem forsitan extremum fuerit punctum, quo ipsi Veneti aevo medio penetrare solebant. Pragae et Vratislaviae eas merces excipiebant, quae ex Russia, Polonia, Borussia illuc adferebantur. Notatu tamen dignum est, electrum balticum, quod olim sola via terrestri ex Borussia meridiem versus portari consueverat, etiam XIV. adhuc saeculo ab ipsis Borussis institoribus in Italiam interdum fuisse advectum; eos Placentiae, Ravennae alias invenimus; Venetiis etiam medio saeculo XV. domus fuit ordinis equestris Theutonicorum propria; illic mercatores Borussici devertere solebant[2]). Forsitan autem non adeo magni haec mercatura fuerit momenti; iam enim ipsi hanseatici mercatores electri

1) Klose, Documentirte Gesch. und Beschr. von Breslau. II. p. 351 sq.

2) Voigt, Preussische Geschichte IV. 580.

venditionem ad se traxerant; illi navibus suis exceptum Antverpiam et in reliquos eiusdem regionis portus transvehebant, unde mari ab Italis asportabatur.

Iam vero quum in universum sic eas lineas circumscripserimus, quibus mercatura Germanico-Veneta a meridie usque in mediam Germaniam patebat, quaesierit aliquis, nonne vestigia quaedam inveniantur, unde directum quoddam conventionis mercatoriae vinculum cognosci queat, quod inter Venetos et magnam illam societatem mercatoriam, quae Hansa vocatur, locum habuisse facile aliquis suspicatus fuerit. Ipsa rei natura eo inducimur, ut huiusmodi aliquid inter illas civitates, quae mercaturae tunc summam tenebant, intercessisse quisque probabile iudicet. Itaque magnam et ipse olim operam dedi, ut de hac re in actis Venetis aliquid invenirem; sed paene frustra me laborasse confiteor, nisi id ipsum fortasse lucri aestimandum est, quod nihil de hac re illic testimonii exstare iam fere compertum habeo. Aut igitur si quae fuerunt huiusmodi documenta tempore perierunt, vel me quaerentem latebant, aut eo res explicanda est, quod revera directa inter Venetos et hanseaticum foedus coniunctio nunquam intercesserit[1]), id quod eo factum censendum esset, quod magnis illis Germaniae mediae civitatibus, quas recensuimus, interpositis propiori opus non fuerit coniunctione. Ceterum etiam Flandriae urbes ac portus quasi intermedia quaedam loca fuere, quo utrique ab utrisque partibus ad commune emporium concurrebant.

Haud tamen abstinebo a communicando unico documento, quod ad septentrionale et hanseaticum oppidum pertinens inveni. Legationem continet a. 1421 a civitate Stralsunda ad Venetos missam. Non satis patet ex epistolae verbis, qua proprie mente foedus inire cum Venetis illi tentarint; de re mercatoria vix agi videtur; ex politica potius temporis conditione explicatio petenda fuerit; quae quomodocunque se habeat, integrum hic trado documentum.

1) Non loquor hic de singulis civitatibus ad illud foedus hanseaticum pertinentibus, velut e. gr. Colonia, sed de universo foedere et praesertim de magnis illis septentrionalibus civitatibus, velut Lubecca, Hamburgo, Gedano, al.

1420 d. Ian. XXVII[1]).

Cum ad presentiam nostri dominii comparens vir prudens ser Nicolaus de Lubech presentatis litteris credulitatis Spectabilium virorum Consulum magnifice communitatis Civitatis maritime Stralessundensis site in principatu Rugianorum et parte dictorum consulum nostro dominio exposuerit de sincera et amicabili dispositione et bona intentione dicte magnifice communitatis cum nostro dominio, porrigendo cedulam, cuius tenor talis est, videlicet:

„Excelso Principe e magnifica Signoria. Ser Nicolo Carbo de lubech compar davanti la vostra signoria per parte di consoli de la citade di Stralessunt e per parte de diti ie (h. e. gli è) stado commesso, chel diebia exponer ala vostra signoria in caxo chel piaxesse ala vostra signoria, quelli tal Consoli per parte de quella communitade seria contenti de una bona amicicia e una bona fraternitade de una liga in questa forma, che ogni cosa, che bexognasse ala vostra signoria de chadauna condition in le parti de Alemagna, de ubligarse de far ala vostra signoria, et e contrario in caxo che bexognasse a loro in le parte de Italia, che la vostra signoria faza el simele. E quando questa caxon plaqua ala vostra sig., lor se offere de mandar qui ala V. S. una solemne Ambassiata; e de questo prega la V. S., che i faza una reposta per lo dito ser Nicolo Carbo portador de la lettera de credenza."

Et ultra continentiam dicte cedule ulterius declaraverit effectum, ob quem dicta magnifica communitas Stralessundensis per eum porrigi fecit nostro dominio requisitionem predictam, esse solum modo, ut in casibus contingentibus suis subditis habentibus agere ad Romanam curiam et euntibus peregre possint habere favores nostri dominii promptiores. —

Vadit pars, quod dicto s. Nicolao de Lubech respondeatur: ‚Quod auditis et intellectis his que nobis exposuit de optima et sincera dispositione magnifice communitatis Stralessundensis dicimus et respondemus: quod dictam magnificam

1) Annus est aerae nostrae 1421, quia solemne anni initium inde a Kalend. Mart. Veneti computabant.

communitatem et suos subditos et fideles intrinsece semper dileximus et amamus et ob affectionem et mutuam caritatem vigentem sincere inter nostrum dominium et magnificam communitatem predictam offerimus nos, absque quod laborem habeat mittendi ista caussa suam ambassiatam ad presentiam nostram, fore paratos sicut semper fuimus in casibus occurrentibus suis subditis et fidelibus qui in illis indigerent favore et auxilio nostri dominii ad prebendum semper in possibilibus nostrum auxilium et favorem alacriter et libenter tenentes firmiter quod semper sic facient erga nostros et sic de eorum magnific. benevolentia sincere speramus[1]).

Iam si quis forte ex ultimis huius documenti verbis: tenentes firmiter quod semper sic facient erga nostros — etiam in istis regionibus mercatores Venetos solitos esse conversari concludere velit, iure id eum agere nego; ad stili curialis enim formulas solummodo illa pertinent, ex quibus nihil omnino effici potest.

III.

Pluries iam in antecendentibus de iis rebus loquendi nobis se obtulit occasio, quae aut impedimento aut commodo mercaturae fuerunt. Et Venetis et Germanis summi fuisse momenti mutua commercia iam satis constat; quaerendum deinceps, quomodo ab utrisque communis utilitas fuerit intellecta et aestimata, quae subsidio, quaeve impedimento accesserint instituta et conditiones.

Singulare vero iam primo aspectu discrimen patet ex propria earum civitatum, de quibus agitur, natura petitum. Altera ex parte rempublicam illam Venetam habemus, eo a totius fere aevi medii formatione, velut exemplar unicum, distinctam, quod in ea iam firma quaedam, constans et conclusa reipublicae norma apparet; nullus hic arbitrio locus; una eademque ratione civili

1) Deliberat. Senatus. Secreta Tom. VII. fol. 200.

cuncta reguntur; nulla auctoritas praeter unam et summam, qua omnia ad unius voluntatis legem diriguntur. Contra ex altera parte Germaniam cernimus qualis medio fuit aevo. Contraria fere omnia hic apparent. Publicae auctoritatis summa ad unum commune centrum olim collecta magis magisque in innumeras partes dissolvitur; inde summa iuris et vindiciarum ambiguitas; frequens incerto iudice vis et iniuria; rarior delictis poena, quam impunitas.

Alia accedit haud minoris momenti comparatio. Apud Venetos scilicet reipublicae summa in commercio posita erat; eo quaecunque pertinebant, diligentissima cura a civitate administrabantur; in suum ipsius commodum cedere respublica intelligebat, quodcunque pro commercii et mercatorum utilitate a se esset institutum. Haud aeque in Germania res se habebant; primum enim non ita hic rei summa in mercatura posita fuit, ut apud Venetos; non tantum reipublicae intererat, utrum bene procederent commercia necne; minora, vel saltem cognitu difficiliora commoda erant, quae ex eorum prosperitate ad principis et terras defluebant; singulae quaedam civitates, imo singulus quidam ordo omnem inde fructum percipere videbatur. Iam quae ex his comparationibus sequantur, facile est intellectu. Firmis et constantibus regulis cuncta ad mercaturam spectantia ordinata cernimus apud Venetos; sua cuique iuris pars tribuitur, ita ut et singulus quisque et universa civitas commodis ex mercatura provenientibus legitime gaudere possit. In Germania olim sane mercatorius ordo in praecipua imperatoris erat tutela; quo factum est, ut iam primis aevi medii temporibus quaedam eius conditio oreretur legali auctoritate definita; sed magis semper se dissolvente imperatoriae potestatis unitate, mox constanti tutela mercatores egebant; singuli cuiusque libidini et arbitrio proiecti erant; publica securitas raro paucisque in locis inveniebatur; si qua erat, non ex unius et summae potestatis centro prodibat, sed a fortuita cuiusque principis voluntate dependebat. Hinc factum est, ut et singulus quisque rebus suis quam optime fieri poterat consulere cogeretur, et publica securitas minus nusquam valeret, quam in Germania. Innumerabilia fere exempla sunt, quae de mercatoribus despoliatis sparsim apud nostrates aevi medii scriptores leguntur; plura

etiam ad nostram memoriam non venisse credendum est[1]). Adeoque ea res in usum quotidianum transiit, ut quasi iuris cuiusdam speciem ipsi praedones sibi vindicarent, dedecoris nihil in ea inesse videretur.

Sed non soli illi fuerunt latrones „qui habent assidue manus pendulas ad rapinam“, a quibus libero mercaturae usui vis saepe inferebatur. Maius commercio periculum interdum ab ipsis principibus imminebat, qui non ita, ut rei ratio postulat, sed iram vel studium proprium sequentes huc vel illud mercaturam dirigere posse sibi videbantur. Ubi intra unius terrae terminos hoc tentabatur, aut auctoritate aut vi saepius pervicisse principes videmus; velut in Austria quodammodo evenit. Tum quo quodque consilium latioribus circumscriptum erat finibus, tanto ad effectum evasit difficilius ipsaque plerumque magnitudine ad irritum redactum est, Maxime memorabile in hac re Sigismundi imperatoris illud tentamen est, quo universo Germaniae commercio Venetos privare conabatur. .Ille enim quum cum Venetis tum aliis de causis, tum praesertim propter Ungariae partem ab illis occupatam belligeraret, extrema in eos ira commotus universae Germaniae mercatores a negotiis illic huiusque habitis retinere tentavit. Itaque quum a. 1418 finitis induciis, quas habuerant, denuo bellum inciperetur, edictum Sigismundus per totum imperium proposuit, uti mercatores a Venetorum commercio omnino abstinerent[2]); res omnes et merces, quas Veneciis haberent, Genuam esse transferendas; hanc iam commune Germanorum emporium haberi voluit. Simul enim foedus inierat cum Genuensibus qui libenter apud se mercatores Germanos recipere pro-

1) Amplissimam exemplorum collectionem ad solam Norimbergam spectantium exhibet Roth l. l. vol. I. in appendice.

2) Vid. litteras Sigismundi ad urbes Rhenanas ap. Aschbach, Gesch. Kaiser Sigismunds vol. II. Beil. XXVII. d. 2. Iul. 1418: darumb warnen wir euch und begeren ernstlich, dass Ir alle ewer kouflute, burger etc. heissen und die auch strenglich darzu halten sollt, dass sie die Strasse gen Venedig fürbass genzlich miden und auch keinerley gescheffte, noch handlunge in koufmanschatz oder andern Dingen mit Venedigern noch den Iren haben, noch die Iren haben lassen in kein wys.

miserant[1]); viarum insuper securitatem, vectigalium remissionem, alia se ipsum curaturum pollicetur. Duabus iam viis mercatoriis merces orientis in Germaniam advectari constituit; altera quae a Genua inde per Alpes et Helvetiam ad Rhenum conducit, altera quae secundum Danubium et per Ungariam fert, qua re simul et proprio regno Ungariae consulere sibi videbatur[2]). Et primum quidem Veneti una cum Norimbergensibus pacem componere tentabant; post ubi nimia illum petere videbant, bellum continuabant (conf. pag. 22 Not. 2). Durabat igitur haec commerciorum prohibitio una cum bello; saepius renovato edicto monentur mercatores, ut omnem cum Venetis dirumpant societatem; a. 1428 factis induciis per aliquod tempus via Veneta aperta est[3]); a. 1431 novo edicto praeclusa[4]), donec pace facta ad pristinum ordinem res redibant.

Minime tamen credendum est, vere hac ratione commerciorum directionem fuisse mutatam; non solum post restabilitam pacem, sed etiam ipso durante bello haud dubie plerique mercatores neglecto imperatoris edicto itinere consueto uti pergebant. Nempe plerisque, qui a Venetis usque ad illud tempus merces petere consuerant, multo sumptuosius iter nunc praescriptum exstitit; qua re moti multi ipsas merces in aleam dari, quam a consueto et lucroso commercio desistere malebant. Iam a. 1418 mercatores aliqui Norimbergenses propterea mulcta afficiuntur, post quum a. 1420 edictum ab imperatore esset renovatum, multique tamen contra facerent, quidam carcere, alii eo puniebantur, ut per aliquot annos negotiandi facultas omnino eis detraheretur[5]). Sed neque edictis, nec poenis multum profectum est; fieri scilicet nequit, uti res tam longo usu confirmatae ac stabilitae secundum legis arbitrium protinus se convertant; quae tem-

1) Aschbach l. l. II. pag. 357.

2) Ibid. Beil. XXVIII . . . . . . und haben also ein fridlich strasse und wege allermenniglich durch unser kunigreich zu Hungarn aufgetan und gemacht. Conf. Aeneas Sylvius de viris illustribus in Bibl. d. lit. Vereins zu Stuttgard I. p. 65.

3) Aschbach l. l. III. Beil. VIII. et XII. pag. 413.

4) Ibid. IV. pag. 53.

5) Roth l. l. I. pag. 112.

pore creverunt, non libidine, sed tempore dissolvi necesse est. Et qui olim oppresso Friderico Austriaco gloriosum illud edixerat: Ecce, quanta Regis Germani potentia! in hoc tentato frustra se elaborasse mox videbat. Neque igitur omne rei momentum eo redire crediderim, in quo Aeneas Sylvius posuit, qui Philippum Mediolani ducem rem impedivisse narrat „non quod Venetis consuleret, sed quod Teutonicos Ianuae stantes suspectos habuit, ne traderent urbem imperatori, pauperemque potius habere civitatem voluit, quam divitem perdere“[1]). Quamquam et hanc caussam suum habuisse effectum probabile est.

Quum haec de incommodis et impedimentis, quae mercaturae Venetae interdum occurrebant, adnotaverimus, iam de commodis et adiumentis quoque loquendum, quae ei contigerunt. Qua in re illius „fontici Theotonicorum“ quod nominabant, de quo iam ipsi saepius mentionem fecimus, ratio est habenda.

Supra iam, cui rei illud fuerit destinatum, obiter innuimus[2]). Hoc priusquam uberius prosequamur et leges institutaque, quibus fuerit ordinata haec domus mercatoria, singulatim recenseamus, ad originem rei, quoad fieri poterit, regrediendum erit.

Iam vero ex ipsa rei natura patet, huiusmodi domum a republica Veneta non potuisse institui, nisi florente iam ampliori quodam modo Germanorum apud Venetos mercatura. Itaque ubi antiquissimam illius mentionem invenerimus, iure multo antea mercaturae primordia statuenda sunt. Iam vero communis adhuc opinio fuit, institutum esse fonticum anno 1268[3]); credebatur hoc Marini auctoritate, qui ex actis Venetorum commercii hi-

---

1) Aeneas Sylvius l. l. I. pag. 65.

2) Bembo, historia Veneta II. 232. Erat in celeberrima urbis regione ad Rivumaltum domus reipublicae perampla quae antiquitus a Germanis mercatoribus incoli consueverat; in eam illi cuiusque modi res, quas quidem vendere cuperent, advectas suis ab oppidis inferebant et civitati emendas proponebant; quascunque in urbe ipsi coemebant, ut in Germaniam conveherent, eodem congerebant, quoad essent deportandae.

3) Hüllmann, D. Städtewesen I. p. 295.

storiam conscripsit[1]). Sed parum accurate hoc illum statuisse iam apparet ex actis a Monio nuper editis. Manifestum ex illis est, eo anno non institutum esse fonticum, sed magistratus fuisse electos, qui ei praeessent[2]). Ex hoc autem documento neque illud concludi poterat, quod Marinus et alii concludebant, eodem anno fonticum esse institutum, neque illud, hoc anno primum fuisse illos magistratus electos. Certum nihil est, nisi hoc tempore magnum statutum a Senatu editum esse, secundum quod res pleraeque in fontico iam ordinari debebant. Sed iam Monius aliud addidit documentum, ex quo fonticum Theotonicorum iam a. 1242 in usu fuisse apparet[3]). Etiam vero longius eius principia reduci posse ex documento sequenti apparet.

Ann. 1223.

Recordationem facimus nos quidem P. Ziani dei gracia Venec. dux etc. cum nostro consilio de illis libris CL. venec., quas fecimus dari dominico pampulo nostro legato ad eundum ad regem Ungarie pro recuperando habere pro alberto donato aurifice, quod fuerat eis ablatum in partibus illis, tali modo, quod si ipse legatus dictum habere recuperaret vel aliquam partem, quod de ipso habere dicte libre CL. communi Venec. restituantur etc. [Postea scriptum.] In tempore ducis Ia. teupuli, mense Iun. Indic. IIII. fuerunt solute ille libre CL. nostro communi a vicedominis fontici P. Contareni de S. Apollinari et M. Cornario de S. Apollinari, qui eas dederunt verbo domini ducis et consilii Marco Cremisano[4]).

Ex hoc igitur documento patet, non solum iam a. 1231 (is enim annus est Indictionis IV. Iacobo Tiepolo duce) exstitisse fonticum, sed etiam magistratus vicedominorum nomine iam tum ei praefuisse. Quum autem in hoc documento nostro duo soli

---

1) Marin, Storia del commercio Veneto V. 181.

2) Mone l. l. pag. 6. — d. 30. April 1268. Pars fuit capta, quod eligi debeant tres vicedomini, qui stare debeant in fontico et duo scribani.

3) Mone l. l. pag. 6. — d. 20. Maj. 1242.

4) Liber Plegiorum Num. 270. Ceterum conferas documentum quod dedimus pag. 17.

vicedomini nominentur, maxime probabile est, usque ad a. 1268 duo solos eligi consuevisse, tunc primum tres electos esse.

Sane vero ad originem rei ne hoc quidem documento conducimur, sed certe ineunte iam saeculo XIII. haud modicam fuisse Germanorum cum Venetis mercaturam ex ipsa illa institutione mercatorum commodo destinata clarissime cognoscitur. Itaque nunc iam dici posse arbitror, mercaturam Germanico-Venetam non solum coaevam fuisse hanseaticae, sed fortasse etiam illi anteriorem. Antiquissima enim hanseaticae, quae proprie vocatur, in mari baltico et septentrionali mercaturae vestigia ultra medium fere XIII. saeculum vix recedunt[1]; huius nostrae, quae etiam longius redeunt, ipsam originem fere usque ad XII. saeculum deducunt; praesertim si quis nunc relegit quae antiquissimi scriptoris verba supra attulimus (pag. 10 Not. 1). Inde si iam ante institutam illam domum et antequam certis legibus et conditionibus circumscriptum fuit, commercium nostrum (pro temporum nimirum indole ac necessitate), uti probabile est, exercebatur, apparet quanta saeculorum series ei vindicanda sit.

Fonticum igitur amplissima fuit domus ad canalem maximum prope pontem illum sita, quem „Rivoaltum“ (Rialto) nomine ab insula petito Veneti appellant. Frequentissima haec urbis regio erat; illuc horis matutinis commerciorum omnes studiosi velut ad focum concurrebant, in quo omnes radii colliguntur; immensa mercium copia hic coacervata, quam velut miraculum peregrini contemplabantur. „Quod attinet ad mercium multitudinem“, viator quidam Italus in itinerario suo dicit, „profecto universus orbis huc concurrere, quantum ad ipsas merces tota humani ingenii vis in eis parandis posita esse videtur. Theotonicorum fonticum sufficeret ad totam Italiam mercibus instruendam. Ea quae in aliis civitatibus sparsim, hic cumulatim invenies, quae alibi libris et unciis, hic cantharis et modiis venduntur[2].“

---

1) Sartorius, urkundliche Gesch. der Hansa. I. pag. 8. II. pag. 16. 17.

2) Sunt verba Petri cuiusdam Casolae, qui versus saeculi XV. finem, igitur labente iam Venetorum fortuna, Venetiis fuit et itinerarium scripsit, cuius fragmenta nonnulla retulit Cantù Scorsa di un Lomb. p. 199.

Domus ea non mercatorum Germanorum propria fuit (velut e. gr. ea quam hanseatici mercatores Londini tenebant, „Stahlhoff“ nominata), sed ab ipso Senatu Veneto ad usum eis concessa; itaque quum a. 1506 incendio aedificium dirueretur, ipsa respublica suis sumptibus de integro restituendum et magnopere amplificandam curavit [1]; aedificata tum fuit spatiosissima illa domus adhuc superstes, quae ut intus erat summa commoditate instructa, ita extra quoque splendoris ac magnificentiae Venetae speciem ostendebat; praeclarissimi qui tunc Veneciis erant pictores suis operibus muros adornabant; adeo ipse celeberrimus scholae Venetae Tizianus pictor unum aedificii latus pinxisse fertur [2]; cuius picturae temporum iniquitate nihil fere nisi levissima quaedam lineamentorum vestigia servata esse dolendum est.

Cognoscitur hinc, in quanta aestimatione Germanorum continuum et frequentem aditum Veneti habuerint. Nec tamen unicuique fonticum frequentare licebat. Sine dubio eis Germaniae civitatibus, quorum mercatores Venetias proficisci consueverant, pactionibus quibusdam opus erat cum Senatu conclusis, vel saltem eius permissione ad aperiendum illis fontici aditum. Cuius rei quamvis documenta desint, quoad ad praecipuas, velut Norimbergam, Augustam, alias pertinet, concludi tamen tum ex ipsa rei natura, tum ex exemplo quodam potest ad minoris sane momenti civitatem pertinente. Anno 1418 Ernestus Austriae dux Senatum rogavit, ut

> „placeat facere tractari et expediri subditos suos de Laibach sive Lubiana, sicut tractantur alii theutonici subditi sui, qui veniunt Venecias cum mercacionibus et bonis suis, per viam fontici theotonicorum.“

Simul et ipsi Lubianae cives legatos idem rogatum miserant; itaque Senatus habita consideratione „quod bonum sit, complacere ipsi domino Duci — — — — etiam pro tenendo illam stratam apertam consideratis conditionibus temporis presentis“ [3]) decrevit:

---

1) Bembo l. l. II. pag. 232.

2) Sansovino Venezia descritta p. 366.

3) Ipsum scilicet illud tempus fuit, quo Sigismundus imperator omnes Germaniae mercatores a Venetorum commercio retinere studebat.

„quod de cetero illi de Laibach, sive de Lubiana tractentur et expediantur per viam fontici theutonicorum sicut alii theutonici etc.“ 1)

Iam vero huiusmodi permissionem assecuti mercatores nequaquam plenam habebant agendi et negotiandi libertatem. Minime enim ea fuit mercatorum Germanorum apud Venetos conditio, quam in nonnullis exteris regnis hanseatici, quam in omnibus fere orientis portubus Veneti acquisiverant, libera et quasi dominationis instar; haud consentaneum hoc fuisset cum illa reipublicae Venetae idea, quam paullo ante explicavimus; quippe ubi omnia absque discrimine tam stricte unius summae potestatis voluntate coercebantur, quam illic factum videmus, fieri non poterat, ut unicus ille mercatorius ordo a communi obsequio eximeretur.

Magna sane commoda fuerunt et privilegia eis concessa, quae tamen haud aliter atque reliqua cuncta severis legibus intra terminos suos cohibebantur.

Omnis mercator simulatque Venetias pervenit, soluto debito portorio ad fonticum cum mercibus suis contendit. Ibi navem exonerare eis non licebat, nisi praesentibus aliquot ex officialibus; publicus erat „ponderator“, qui omnes merces adeuntes et exeuntes ponderabat; aderant scribae, qui in tabulas eas consignabant, et ita iuxta pondus vectigalia computabantur, quae intrantibus vel exeuntibus erant solvenda. Multa satis gravis indicta erat in eos, qui infra biduum post adventum „aurum, argentum, monetas et omnes alias merces“ summis fontici officialibus, vicedominis, non ostenderint; pro certis nummorum Germanorum generibus pondere Venetis levioribus velut „denariis grossis, florinis aureis, denariis de Tyrole“ etc., ubi a mercatoribus Venetias adferebantur, quinae centesimae solvendae erant. Infecto quoque argento, quod saepe a mercatoribus adferebatur, magnum erat vectigal impositum 2); quod cum nimis

1) Deliberat. Senatus. Mixta d. 5. Sept. 1418.

2) Hoc vectigal iam vigebat anno 1270, uti cognoscitur ex „Capitulario Vicedominorum Lombardorum, ubi hocce reperitur Senatus consultum:

magnum postea plerisque videretur, mercatores ab importando argento abstinere coeperunt; itaque a. 1441, „ut civitas nostra abundet argento“ decretum fuit a Senatu: „quod argenta, que per viam fontici conducuntur Venetias, absolvantur a dicto dacio solvendo.“

Quum saepissime accideret, ut exteri mercatores vectigalibus solvendis fraudem facerent, et ab ipsis hominibus Venetis, qui quidem ita minori pretio merces ab illis assequebantur, hac in re adiuvarentur, multae leges contra vectigalium defraudationem latae sunt. Ita e. gr. saepe mercatores Germani, ut a vectigalibus in fontico pendendis se liberarent, merces suas illuc non portabant, sed apud amicos quosdam Venetos deponebant; quos contra a. 1374 severa lex lata fuit; ipse mercator in hac fraude deprehensus quartam mercium partem (25 %) poenam solvit; Venetus qui eum adiuverit, si vir nobilis erat, sit privatus de maiori consilio per 5 annos“, „et si fuerit popularis, sit bannitus quinque annis de insula S. Marci et Rivoalti et de intrando fonticum.“ Rem hac lege non fuisse levatam ex eo patet, quod saepius eam acriori mente repetitam invenimus, ita ut demum non solum naves cum omnibus mercibus confiscarentur, sed etiam insuper multa 500 librarum contrafacientibus imponeretur.

Negotia in ipso fontico agenda certis regulis ordinata erant. Officiales qui ei praeerant, a Senatu ex civibus Venetis eligebantur. Principes erant tres illi (forse aliquando duo) Vicedomini fontici saepius nominati, ex nobilitate Veneta desumpti. Praescriptum erat his, ut certis diei horis in fontico adessent resque omnes in eo gerendas ad legem moderarentur; duo scribae eis additi erant, quibuscum omnium negotiorum rationem habere et Senatui reddere debebant; ad eos vectigalia in fontico solvenda deferebantur; quae in usum fontici impensae erant fa-

---

A. MCCLXX. die octavo intrante Iulio: Capta fuit pars, quod sicut homines Luce possunt adducere monetas Venecias pro solucionibus faciendis et mercacionibus emendis sine quarantesimo, sic possunt adducere argentum et platas argenti et omnes alii qui adducere voluerint, exceptis theotonicis.“ Vid. Cantù Scorsa etc. pag. 175.

ciendae, ab iisdem erogabantur. Sed et ipsis vicedominis et omnibus reliquis fontici officialibus interdictum erat, ne suo nomine et sumptu negotia cum mercatoribus fontici inirent, cavente Senatu, ne privati commodi cura cum reipublicae legibus sic misceretur. Stipendio vicedominis tum vectigalia ex quibusdam mercium generibus provenientia assignata erant, tum mulctae a legum fontici violatoribus exactae tribus plerumque partibus dividebantur, una accusatoris, altera aerarii, tertia officialium fontici.

Penes eosdem vicedominos iurisdictio quaedam fuisse videtur in homines ad fonticum pertinentes exercenda[1]; praeterea autem aliud quoque collegium nominatur, „iudices forinsecorum" (h. e. exterorum, hospitum) et insuper „consules mercatorum", ita tamen, ut quae quorumque fuerit distincta potestas, ex documentis, quot quidem equidem cognovi, acriter dignosci non possit[2].

Componendis inter Germanos Venetosque mercatores negotiis certus „missetorum" (ital. sanseri, germ. mäkler) numerus erat destinatus, qui sorte quotidie mercatoribus attribuebantur; emptiones, quae certam pecuniae valorem superabant, sine eorum opera componere non licebat; ipsi tum negotia a se instituta ac praeparata ad vicedominos deferebant, a quibus postquam confirmata ac permissa erant, legitimum iam valorem habebant; postea (a. 1466) institutum est, ut emptor et venditor simul coram

1) Pauca admodum sunt, quae de vicedominorum aliorumque officialium fontici potestate definiri possunt. Amplior de his rebus explicatio hauriri forsitan poterit ex codice quodam manuscripto, qui est Venetiis apud V. Cl. Emanuelem Cicogna: „Regesta e commento del capitolare dei visdomini al Fondaco dei Tedeschi a Venezia." Eo nemo adhuc, quod sciam, ex nostratibus usus est. Retulit de eo Caesar Foucard Venetus in: Sitzungsberichte der Acad. d. Wiss. z. Wien. vol. XXII. 1856. pag. 221.

2) Chmel, Regesten Friedrichs III. Num. 4171. epistolam refert Friderici ad „Maffeum Francum iudicem teutonicorum mercatorum Venetiis" d. 4. Apr. 1465. In actis Venetis iudicem hoc titulo nominatum non inveni; forse diversus ille non est ab uno alterove eorum, quos modo nominavimus.

vicedomino apparerent, datoque iureiurando pretium, de quo convenerant, in tabulas magistratus referrent. Iisdem missetis plerumque Senatus uti solebat, ubi de rebus mercatoriis ad principes vel civitates exteras legato mittendo opus erat.

Iam inde a prima fontici institutione lege cautum fuisse videtur, ne mercatores exteri fonticum Germanorum adirent et cum illis negotiarentur; ea enim huius instituti mens erat, ut solis Venetis huius mercaturae fructus contingerent, exteri autem et ipsi Venetorum subditi merces non nisi interpositis mercatoribus Venetis habere possint. Summum studium in eo erat, ut indigenae mercatores, in quibus sane omnis reipublicae vis erat, divitiis quam maxime augerentur. Alia lex prohibebat, ne mercatores Germani pannos, praecipuum importationis genus, ad ulnam venderent; integros eos Venetis vendere coacti erant; ea scilicet mente, ut venditio minuta, quae ad ulnam fit, non exteris illis, sed propriis civibus Venetis lucrum praebeat. Similes leges de aliis quoque mercibus valuisse, maxime probabile est.

Sed haec quidem de fontico eiusque institutionibus; singula multa sane addi hisce possent, sed dicta sufficiunt ad generalitur cognoscendum, qua conditione Venetiis mercatores Germani vixerint et negotiati sint[1]).

Neque tamen me fugit, aliud adhuc superesse, quo sine penitus non possit commercii Germanico-Veneti ratio pernosci. Primum enim fere nihil adhuc a nobis dictum est de ipsis mercibus, in quibus emendis ac vendendis illa versabatur. Summi momenti autem hoc sine dubio aestimandum est, quoniam hinc fere id cognoscitur, quod velut obiectum universae considerationi substratum est. Quod si tamen abstinui ab hac re amplius enarranda, propositi mei natura hoc probari mihi videtur, quod quidem in eo praesertim collocandum duxi, ut huius mercaturae generalia quaedam lineamenta appareant, cognoscantur origines, variae quo se extendit directiones, circuitus quem progrediente tempore nacta est, conditiones denique sub quibus vigebat. Aliud

1) Notitiae istae de fontici legibus etc. maximam partem depromptae sunt ex magno vicedominorum statuto et ex reliquis actis apud Mone l. l. pag. 6—34.

vero accedit. Mera mercium, quibus mercatura inter Germaniam et Venetias continebatur, enumeratio parum nos iuvaret ad cognoscendam intimam rei naturam; ea ita demum plane posset penetrari, si fieri posset, ut accuratam proponeremus tabulam, qua et mercium utrimque venditarum et emptarum species et copiae, et pretiorum, quibus vario tempore venibant, notitia contineretur. Instituta tum comparatione inter emptionis et venditionis pretia clariorem iam assequeremur notionem tum de lucro facto, tum de pecuniarum summis in hac mercatura transactis. Sed ad hanc, ut ita dicam, compensationem instituendam documenta, quae huc usque prodiere, neutiquam sufficiunt. Ex ipsis mercatorum libris et adversariis, ex magistratuum actis huc pertinentibus huiusmodi notitiae erunt colligendae. Et minime desunt huiusmodi documenta, sed paucissima adhuc luci data sunt; esse non potest, quin in tabulariis Venetis plurima adhnc lateant rationum commercialium codices ex antiquae nobilitatis mercatoriae hereditate illuc delatı; alii alias conservantur[1]).

Porro autem res est ad mercaturae cognitionem maxime necessaria vectigalium ratio. Satis constat, vectigalia antiquitus inter iura regum propria fuisse; mox ab eis dono et remissione ad singulos terrarum principes delata sunt, qui postea et ipsi ius nova vectigalia imponendi sibi arrogabant. Ita factum est, ut ad arbitrium haec quoque regerentur; quo quisque princeps pecuniarum erat egentior., tanto a mercatoribus maiora et frequentiora tributa exigebat; satis raro autem evenit, ut a suprema regia potestate in hoc studio impedirentur, quoniam ipsi reges vel imperatores exceptis paucis in terris propriis haud secus agere solebant. Iam vero per se constat, haec maxime consideranda esse, si quis de mercium preciis velit inquirere; quum altera illa consideratione vera rerum pretia inveniantur, eorundem

1) Mone zur Gesch. des pfälzischen Zollwesens etc. (Zeitschr. f. Gesch. d. Oberrheins Vol. I. p. 171. sq). Man hat angefangen, auf alte Handlungsbücher aufmerksam zu sein. [S. Otto Rulands Handlungsbuch in d. Bibliothek des literar. Vereins. Stuttgard 1853]. Viel wichtigere Handlungsbücher italienischer Grosshändler des XIV. Jahrhunderts liegen im Stadtarchiv zu Gent.

hac via caussae explicarentur; appareret inde, quantae fuerint impensae a mercatoribus factae, quantum verum lucrum ab iis profectum; cerneretur, quae intercesserit pretii differentia inter res cuiusque terrae vernaculas et eas quae mercatorum opera advehebantur, simul qua proportione hoc factum sit quibusque de caussis.

Sed eo quoque non sufficiunt documenta adhuc inventa. Quod si quis e. gr. componere studeret impensas, quas mercator Norimberga Venetias proficiscens ex vectigalibus in itinere solvendis certo quodam tempore habuerit, fieri sane hoc non posset, quoniam nec loca, nec formulas omnes cognitas habemus, quibus vectigalia exigebantur. Ne in fontico Teutonicorum quidem, de quo alia multa tradita sunt, quae fuerint tributa mercatoribus nostris solvenda accurate describi potest.

Hoc igitur imprimis opus est, ut vectigalium formulae quam plurimae undique colligantur, rerum venalium pretia, quae variis temporibus et locis valebant, quam accuratissime componantur. Nonnulla sane in hac re collecta iam sunt; pluribus opus est, quoniam inductionis sola via est, qua recte in huiusmodi rebus incedi potest; coacta quam uberrima exemplorum copia ex omnibus temporibus et locis petita, fieri olim poterit, ut externa linearum circumscriptio etiam intimis rerum momentis et propria natura adimpleatur.